

SCHOLICA HYPOMNEMATA.

SCHOLICA HYPOMNEMATA.

76.

SCRIPSIT

JOH. BAKIUS.

αἰσχρὸν σιωπᾶν —.

Vol. I.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD H. W. HAZENBERG JUN.

CIƆIƆCCCXXXVII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

JACOBO GEELIO

S. P. D.

JOH. BAKIUS.

Nihil est cur reticeam, optime geeli, non prius cogitavisse me de scribendo hoc volumine, quam eius ad te mittendi consilium cepisse. Quod si qui sunt qui mirentur, hi ignorant profecto quanta sit inter nos studiorum sententiarumque consensio, quanta iudicandi omnino sentiendique conspiratio, quantosque ego ex hac necessitudine fructus percipiam, vel ad vitae suavitatem, vel ad ingenii doctrinaeque confirmationem, vel ad laudis stimulum et auctoritatem. Ac tamen postremum hoc quale quantumque sit, malo alios suspicari, qui te non ignorant, quam ambitiose a me praedicari,

qui tuam moderationem animi cognitam habeo: neque intercedam si ita interpretabuntur, ut plus a me tibi, quam mihimet ipsi tribui intelligant.

Sed primus fere consuetudinis nostrae fructus exstitit Bibliothecae Criticae Novae edendae consilium; quum ambo iudicaremus utilissimam operam et honestissime poni, ab eo qui discere ipse cuperet, in aliorum inventis diligenter explorandis, istamque cum aliena laude contentionem tamquam cotem esse ingenii et industriae. Quod institutum quum ita tueremur, ut mihi certe bonam otii partem auferret, sed gratum facere intelligeremus tum nostris hominibus, tum exteris; postremo volumine ante hos sex annos edito non nos quidem digressi, sed ad sua quisque reversi sumus, quae nominis commendandi causa ipsi expoliremus, conderemusque ea quibus locum honestaremus, in quo publico beneficio essemus constituti. Et quid te ceterosque sodales memorem, qui satis luculenter desidiae crimen refutastis? Equidem mox diu promissam, sed longo intervallo

intermissam commentationem Tulliani operis De Legibus instauravi, et in feriarum potissimum otio sedulo continuavi. Cuius laboris, quum his annis primarii viri in Cicerone emendando interpretandoque egregie elaboravissent, haud sane minor pars occupata fuit in alienis bonis cognoscendis diiudicandisque, quam in propriis inventis ornandis et confirmandis. Igitur lente festinans absolveram tandem commentarium extremis diebus ante ferias aestivas superioris anni: sed quum et Codicum, quos ipse complures contuleram, lectiones componendae restarent, tum vererer proferendis iis, quae non satis fortasse elucubrata essent, incontinentiae culpam contrahere, decrevi tunc premere confecta aliquantisper, iterumque circumspicere si quid melius vel ab aliis discere possem, vel ipse excogitare.

Interea nihil ne agere viderer, novum cepi consilium, unde et mihi honesta recreatio, et haud inutilis consideratio recordatioque oritura esset disciplinae meae alumnis. Interpretari his soleo, ut nosti, tum alios subinde scripto-

res, tum Ciceronem et Oratores Graecos; nec raro fit ut a doctissimorum virorum sententia discedendum existimem, meoque Marte aut obscura quae sunt, aut quae corrupta, expedire studeam. Itaque ne huius generis quae essent nuda commendatione manerent, aut in scholarum brevitate et parco disputandi genere laterent et vilescerent, utile fore arbitrabar subinde colligere, eoque vestitu ornata efferre, ut tam meis ad confirmandam doctrinam prodessent, tum aliis ad existimationem eius rationis, quam in hac disciplina prae ceteris probare soleo. Sed hoc quem eventum sit habiturum, famaeque consuluerim meae, an sibilos excitaturus sim, incertum videri potest. Quod autem multo mea magis refert, extra omnem controversiam positum est; suavissimam mihi hanc deliberandi scribendique operam exstitisse. Meministi profecto superioris anni aestate, quum in villa Engbergana rusticaremur, ad illum modum retractare me instituisse ea, quae modo in scholis de Ciceronis Sextiana explicuissem; singulisque de locis, si quid vel secus, quam aliis

videretur, emendatum, vel a me primum esset offensum, diligentius anquirere et expromere. Et eras tum mihi non orationum, ut illi T. Pomponius, sed obelorum meorum, aut fortasse nugarum, Aristarchus; quum crebro accurrens mea tibi inventa, recens parta, triumphans monstrarem, tuaque modo sobria ac prudens dubitatio aliquantulum de gestienti illa laetitia tolleret, modo confidenter laudares et pergere iuberes. Atque hos sermones quum domo nobiscum efferremus, et in amoenissimo praedio, perque omnem illum Gelriae tractum silvis, collibus, arvorumque splendida segete nitentem inambulantes vagaremur, iocisque seria temperaremus, ego certe neque ullam, tu quum aderas, urbanitatem, multoque minus hanc urbanam vitam plenam officiorum et molestiarum et vanitatis desideravi. Quid profecto efficacius ad pravas animi ambitiones, veluti pestes, exsecandas, sordesque eluendas, quam rusticanae vitae otium et sobrietas et solitudo? Unde pabulum honestius castiusque ingenio quaeras, vel ad virtutis studium, vel ad veram humanitatis lau-

dem, quam ex optimarum artium consideratione in quotidiano ruris fructu et adspectu? quem quasi invidentes hominibus plane auferunt urbis molitiones, ac suburbanorum adeo odiosa celebritas pusillique splendores. Neque prorsus a rusticis operibus abstinebamus: quum tu subinde ludens, qua es dexteritate, triturae felicissime operam dares, ego, absente Hermanno, carissimo genero, velut suffectus dominus, quotidie villico imperarem, vel de metenda segete, vel de arando agro aut stercorando, singulaque statis diei temporibus obirem et inspicerem; nihiloque minus alacres literas uterque suas continuo repeteremus. Sed ne ineptus tibi videar, qui tamdiu istic haeream, redeamus, si placet, (quoniam ita fieri tandem necesse fuit,) in urbem, et ad huius libelli argumentum.

Quas igitur rure institueram collationes quatuor Codicum Bibliothecae Lugduno-Batavae in quibus Sextiana inveniebatur, domum redux absolvi. Tum Philippicas duas priores, adhibitis duobus libris Vossianis pervetustis, retractavi. Postremo excussi e commentariis, quae,

copiis Reiskianis et Bekkerianis ex Editione Oxoniensi adiutus, in Antiphonte et in Andocide notaveram. Itaque repraesentare diligentiusque explicare studui praecipua eorum quae superiori anno in scholis vel disputaveram, vel verbo commemoraveram.

Habes, mi GEELI, praesentis munusculi ortum et argumentum: in quo non tam explorare te volo qua arte confectum, quam quo animo ad te missum sit cogitare. Neque enim exspectas ut describam quam criticae artis formam secutus sim. In ipsis periculis et in acie ea virtus spectanda est, cuius laus omnis in actione consistit, non in facili et ambitiosa praeceptorum explicatione. Non tantum otiosam esse talem orationem, qualis in multorum praefationibus deprehenditur, tu mecum existimare soles, sed tanto fere odiosiorem, quo saepius aliorum scilicet doctor sua ipse praecepta aut non curat, aut perversissime, ubi ad rem ventum est, interpretatur. Sed, quum ita docere soleam, non ut potiora premam, effundam non nisi vulgaria et vilia, sed ut difficillimis quibusque explorandis

edisserendisque ipse discere studeam, cathedramque optimam esse interpretandi magistram existimem; operam dabo ut cuique deinceps anno hoc tamquam vectigal imponam lucubrationum mearum, et, quae veteres Grammatici appellabant, *scholicorum hypomnematum.*

Sed quaeris fortasse cur in ipso titulo apposuerim illud *αἰσχρὸν σιωπᾶν* —, nec versum absolverim, sed divinandum aliis reliquerim quid, aut quem, aut quos vellem? fore enim qui suspicentur librum me edere nescio cuius invidia, qui solus in meo genere studiorum dominari videatur: aut fortasse (nam quis modum definiat malevolorum suspicionibus?) ideo me vocem efferre, quod omnes taceant, idque turpe me putare. Ego vero nec cuiquam invideo, ut tum Isocrati Aristoteles, neque alios, si qui in patria nostra sint, qui tacere malint, aegre fero. Sed tam insana vulgo admiratio est veterum tum opinionum, tum institutorum, ut, nova qui excogitant, perversissimi *νεωτερισμοῦ* suspicione et invidia flagrent, tamquam eversores rei publicae, omniumque religionum quibus

societas continetur humana. Vetus, inquis, haec fabula est; et videmus subinde ita fieri apud exteros. Sed plurimum hac imbecillitate nostri homines laborant: adeo sunt addicti plane iis, quae patrum memoria inventa aut probata sunt. Testis est Horatius Peerlkampianus, qui convicia excitavit multorum, non elicuit cuiusquam doctam moderatamque disceptationem. Testantur idem alia multa, non in doctrinae studiis his mansuetioribus tantum, sed in aliis etiam rebus laudabiliter excogitata, quae non argumentis, sed veteris moris putide iactatis laudibus, ac nescio quo ruinarum metu repelluntur, ac, si dîs placet, confutantur. Tanta est impudentia et fiducia eorum, qui callidi et astuti quum sint, docti et ingeniosi habentur. Ridiculum est quod Plutarchus narrat in Vita Sullae, quum hic Athenas acerrima obsidione premeret, legatos ex urbe ad eum missos, praesentium angustiarum necessitatumque immemores, non nisi de Theseo et Eumolpo et Marathone iactasse; quibus imperatorem respondisse, Apage vestras nugas! non ad disciplinam

huc veni, sed eos subacturus qui defecerunt. Ita nos docere cupiunt isti, quae pridem cognita sunt; quasi aut ista a quoquam ignorarentur, aut non ipsi illi maiores, quorum laudatione exsultant, laudes non assequuntur, plurimis demum novis inventis immortale nomen adepti essent.

In tanta igitur multitudinis perversitate turpe esse arbitror clamoribus deterreri aut strepitu eorum, qui, sua quod nulla habent, vetera et antiqua exosculantur: et hoc est illud αἰσχρὸν σιωπᾶν, vocemque cornicibus loquacibus permittere. Nam incurret, certo scio, hic quoque libellus, cognito argumento, in nonnullorum reprehensionem et querelam, qui indignum facinus esse clamabunt tam multa loco moveri, tolli alia, tum refingi et substitui, quae hucusque et sana, et integra, et pulcra, et splendida habuissent; tantam esse novitiorum audaciam et improbitatem, ut divina humana, summa infima misceant et labefactent; superbiam hanc esse humani ingenii, quae per gravissimas disciplinas grassetur, unde rerum publicarum ever-

siones, caedes et vastationes et dudum ortas esse, et porro exspectari, nihilque aut sanctum aut munitum cuiquam mansurum, si hoc impune fieri concedatur, neque omni ope coërceatur.

Non crevit olim tam insulsis cantilenis aut res publica Batava, aut Academia Leidensis: et si haec, quoniam reliqua a praesenti consideratione excludere necesse est, non prorsus interitura est, audendum est, melioribusque copiis tuenda maiorum fama, quam caeca et inerti admiratione. Sed quid ego hoc tibi explico, prorsus ita sentienti, superbamque et disertam, in specie stabilitatis, servitutem ridenti? Paucis omnino hae literae nostrae contentae sunt iudicibus, sed qui reputent, vetustate fortasse opinionum commenta, antiquitatis commendatione veritatem praestare: tum maxime nituntur agitatione mentis, eoque dolore qui e praeclarissimorum operum consideratione assiduoque studio oritur, quique fovendus est, non sanandus, serenda colendaque doctrina, dulcissimaque ingenii contentione: ut nemo sanus tam vivere optaturus, quam illa voluptate sublata vivere

recusaturus sit. Tuo hoc exemplo comprobari dicerem, commendarique adolescentibus nostris huius disciplinae eleganter ingenioseque investigandae laudem, nisi odiosum et ineptum ducerem effutire ea velle, quae non nisi caste pieque colenda sunt. Malui igitur perpauca de te, plura de me ad te scribere; minus quippe verebar aliis ipse immodestus, quam tibi molestus videri. Et quoniam exitus aliquando huius epistolae inveniendus est, alterum versiculum tibi explendum relinquam,

Nil ego contulerim —.

Vale, meque ut facis amare perge.

Scripsi Lugduni-Batav. d. 24 Aprilis cIↄIↄCCCXXXVII.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

I.

Disputatur de temperanda admiratione eloquentiae Tullianae.

Qui veterum Graecorum et Romanorum praestantissima quaeque monumenta ingenii sic a nobis explorari colique volunt, ut hoc studio nostrum ipsi erudiamus recti omnisque elegantiae sensum, nec minus dicendi enuntiandique, quam cogitandi intelligendique facultatem exerceamus; ab his non dissentire me profiteor, sed perdifficilem nobis delectum relinqui existimo, ancipitemque proponi contentionem. Primum enim non omnibus eadem ita probari solent, ut et admirationem excitent, et assequendi imitandique studium moveant. Sua cuique servanda est natura, quam in singulis

hominibus non minus ingenii voluntatisque, quam oris omnisque habitus motusque diversam esse constat. Nolo nunc memorare alios incredibiliter delectari poëtis, alios in iisdem frigere, alios historicorum, aut philosophorum, aut oratorum operibus spectandis tamquam insitam quandam cupiditatem explere, contra alios in uno aut altero genere istorum vix reperire, quo taedium ac molestiam abstergant. Sed difficile omnino est ei etiam, qui nihil nisi sua appetit, seponitque ea, a quibus ingenii modo et natura alienior est, statuere quid praestantissimum sit, quid eiusmodi, ut velut norma excellentiae sperandique finis ponendus sit.

Quae una res iudicandi in hoc genere firmitatem libertatemque maxime constringit, traditio est admirationis, quae inde a vetustissimis temporibus propagata ita dominatur, ut prope nefas habeatur, aut nonnumquam insaniae indicium, si quis sit, qui in hanc non concedat auctoritatem: contra, docti, prudentis, venustique hominis famam quotusquisque non tuetur eadem admiratione celebranda, quam tot seculorum iudicio commendari stabilirique videat? Nihilne est igitur e veterum literis, quod quis soluto animo et vere admiretur? Sunt sane permulta: sed tria omnino requiro in eo, qui hoc studio ducatur: primum ut rite intelligat: tum ut deponat omnem turbam opinionum hodier-

narum, quibus qui circumseptus et inclusus est, vix probabit ea, quae arctissime cum illius aetatis sensu et iudicio coniuncta, ex eaque apta sunt: postremo ut in ea inciderit, quibuscum indole et natura conspiret ipse, quam excoli atque erudiri posse sentio, totam mutari et quocunque velis deflecti, vehementer nego.

Segregandum esse ab hac admirationis professione imitandi studium, nemo non intelligit. Quippe, quae veteres reliquerunt, vel in eo versantur genere literarum, cuius venustate delectemur domi, vixque satiemur, foras tamen ipsum educere nolimus, quippe peregrinum, nec his nostrorum hominum ingeniis accommodatum, quodque dissimilitudine morum et institutorum, quibus nostra utitur vita, longissime repudiatur. Verum alia sunt, quae non certi definitique temporis esse existimentur, aut certe quae, paucissimis detractis, nostrae aetati, nostrisque moribus et opinionibus pulcre convenire videantur. Perpauca sane hodie repudiaremus eorum, quae veteres aut historici, aut philosophi, aut oratores opera condiderunt; verbo, quae isti soluta oratione scripserunt tum, quum dicendi enuntiandique artificium cumulatissime excultum esset, ea formae praestantia sunt, ut nostris literis fingendis optima praebeant exempla, verumque laudis cursum is ingrediatur, qui

talia, ipse scribens, intento studio intueatur, imitarique operam det.

Nihilominus magna cautio est, quid in quoque probari oporteat ita, ut sequendum sit. Tullii Ciceronis, cuius causa tota haec a me instituta disputatio est, ingens nomen esse, eximiamque apud omnes admirationem novimus. Huic ego famae si quid detrahere coner, stolidus sim et impudens: neque tamen eo minus perperam statuere mihi videntur ii, qui in iisdem, quibus ille, generibus scribendi elaborare decreverunt, perfectissimum in eo relictum esse eloquentiae exemplum, quod omni studio sequantur, si bene dicendi laudem consequi sperent. Apparet statim eam a me famae Tullianae partem intelligi, quae ex Orationum admiratione, et ex omni illo forensi dicendi genere orta, et suscepta, et ad nostram aetatem propagata est. Nam, quemadmodum concedo longe elegantissima esse quae Dialogis continentur, quam scribendi formam, quamquam imitatione Graecorum, primus ipse Latinis literis explicuit; tum nihil facile accedere ad egregiam plane scribendi laudem, quae in Epistolis cernitur, cuius generis vere Romani ipse Cicero potissimum et auctor et perfector censeri potest: tam multa me in Orationibus, detractis etiam iis, quae propria videri possint istius aevi, illorumque institutorum, offendunt, ut haud

facile perniciosius quid excogitari possit literis nostris, quam tale exemplum commendare iis, qui in forensi senatoriaque eloquentia elaborare decreverint. Sed operae pretium est ortum explicare et historiam quodam modo contexere illius famae, qua uno Ciceronis nomine eloquentiam ipsam cerni significarique putatur.

Ante eum permultos Romae floruisse dicendi laude, non est quod dubitemus. Dandum sane est hoc, quod satis ipse significat, in eo commentario, quem *de Claris Oratoribus* reliquit, iusto plus eum tribuisse patriarum rerum amori, neque istos omnes oratores fuisse, qui nomen mererentur. Verum tamen et Galba, et Cato, et Gracchi, et Crassus, et Antonius, multique praeterea memorantur, de quibus ne aliorum quidem traditio desideratur, ut teneamus permultos olim exstitisse, qui in populari civitate copia et gravitate dicendi summam vel auctoritatem vel gratiam et adipiscerentur et tuerentur. Difficile est, quum unus ex tanto numero supersit Cicero, de reliquis iudicare, qualem eloquentiae formam secuti sint. Fragmenta enim, quorum perpauca Cicero servat, alia alii, neque numero satis, nec varietate sunt, e quibus speciem dicendi istorum temporum nobis effingamus. Sed excogitari possunt, quibus in hoc genere coniectura adiuvetur. »Oratorem,

»inquit (*), celeriter complexi sumus: nec eum »primo eruditum, aptum tamen ad dicendum: »post autem eruditum:" tum nonnullos, qui *docti* fuerint, enumerat: »deinde ita magnos nostram »ad aetatem, ut non multum, aut nihil omnino »Graecis cederetur." Sed neque hoc, neque similia multa in Cicerone, quippe aut a vanitate et ambitione, aut a nimia Graecorum aemulatione profecta sunt, ea, quae volumus, explicant. Consulatur potius ipsum Romanorum ingenium. Nam literarum eandem esse solere indolem, quae ipsius populi et civitatis sit, tum per se intelligitur, tum historia comprobat. Igitur apud Athenienses eandem propemodum, quamquam in summa generum dissimilitudine, formam impressam esse cernimus historicis, philosophis, oratoribus, elegantiae nempe, sed sanae illius, et sobriae, et tersae, splendore sese magis sententiarum, propriaque compositione et delectu verborum, quam affectata copia, arcessitoque ornatu commendantis. Possum hanc similitudinem demonstrare, quae florentis Athenarum aetatis scriptores eiusdem ingenii tamquam vinculo complectitur: sed videndum est de Oratoribus. Quid causae sit, quaerit Cicero (*), »cur aetates extulerint singu-

(*) Tusc. I. 3. init. (*) Orat. II. 22, 92.

„lae singula prope genera dicendi?" et e Graecorum scriptis, cuiusque aetatis quae dicendi ratio voluntasque fuerit, intelligi posse merito affirmat. Sed, quamquam exemplum magni hac in re momenti esse intelligi potest, non tamen concedo eos oratores, qui post Isocratem fuerunt, quum naturis differrent, ideo voluntate et genere dicendi similes inter se fuisse, quod istius rhetoris sequerentur omnes disciplinam et auctoritatem. Semper accommodari debuit forensis oratio multitudinis iudicio, recteque propterea illam *facultatem popularem* appellavit (*): nec fieri potuit umquam, ut quamvis importatam disciplinam secundo populo sequerentur oratores. Nihilne igitur ex istis scholis perceperant aut Lysias, aut Demosthenes, aut Lycurgus? Hi vero praecepta audiverunt, exempla secuti non sunt: neque quisquam eorum tam insanus fuit, ut Thrasymachea, aut Isocratea minuta artificia, quae in umbra fortasse delectabant, in aciem educeret. Non fuit igitur haec *imitatio*, ut appellat (†), sed perpetua indoles eius eloquentiae, quae tum populo probabatur; neque dein *alia quaedam dicendi molliora et remissiora genera viguerunt*, quod illi extincti essent, sed quod ipsius populi indoles, paul-

(*) Tusc. II, 1, 3. (†) Orat. ibid. 23, 24.

latim in servitutem redacti, amissa rei publicae dignitate, remissior facta erat, sensimque degenerabat ab illa contentionis severitate et incorrupto veri sensu.

Romanorum quale fuerit antiquitus, quum primum eloquentia maturescere coepisset, ingenium, satis docet ipsa historia. Totum fuit ad gravitatem severitatemque compositum: quae ipsae virtutes in principibus e saeva et rudi multitudinis indole efflorescebant. Rebus magis gerendis, quod Sallustius prudenter monet, quam dicendo aut scribendo dediti erant: spernebantur non tantum, sed dedecori etiam erant eae artes, quibus apud Graecos summam eruditionem contineri putabatur: literae adeo negligebantur, ut, si quis minus inquinato Latino sermone uteretur, hoc in eo praecipuum praedicaretur (*). Quae si ita sunt, putabimusne ista aetate oratores politos, tersos assiduaque exercitatione maturos exstitisse? Contra habemus istorum, qui celebrantur, severum existimatorem Pomponium Atticum, apud Ciceronem in *Bruto*(†); quamquam, si quis hoc ad orationis componendae ornandaeque artificium referre malit, non intercedam: sed tamen toto genere adeo istos distare ab ipso Cicerone putabat Atticus (i.

(*) Brut. 74. (†) Brut. 85, seq.

e. Cicero, qui haec disputantem Atticum inducit), ut, quare tam exigue de iis sentiret propterea non dicat, »ne, inquit (§), me tibi assentari putes." Hinc in illa elaborata disputatione de collocatione verborum, deque structa et ornata oratione, tum de sono et numero, quam ad Brutum scribens in *Oratore* (*) explicat, et nullum fere de superioribus memorat, et satis indicat se huius generis Romanis auctorem esse.

Accedit, quod secundo loco commemorandum est, Graecarum literarum studia, unde omnis ille orationis ornatus et copia dicendi repetenda erat, aut omnino friguisse Romae ante Ciceronem, aut leviter tantum gustari solita fuisse. Possunt alia multa exempla excitari; sed duobus principibus defungamur, L. Crassi et M. Antonii. Mira quaedam his tribuere videtur Cicero in dialogo *de Oratore* (†): sed re diligentius perspecta, mentiri noluisse apparet, tantumque modo affirmare, neutrum horum omnino rudem fuisse earum artium, sine quibus eloquentiam constare non posse per totam disputationem demonstrare conatur; quod ipsum sic obtineri facilius poterat, si istos eorumdem studiorum non ignaros fuisse affirmasset. At in *Bruto*, quum permultos et literatos, et Graecis li-

(§) Ibid. 86, 296. fin. (*) Orat. cap. 41. sqq. (†) Orat. II. 1.

teris doctos memoret, nihil horum dicit in illis duumviris; de Antonio adeo tradit (*) elegantia et diligentia eum sermonis caruisse. Sed valebant ingenio, inveniendi facultate, collocatione argumentorum, memoria, tum sensu et affectu, unde verborum sententiarumque non tam splendor, quam gravitas et vehementia oriebatur.

In pari infantia fuerunt, qui historiae scribendae operam dederunt ante Ciceronis aetatem: cuius rei testimonium ex uno loco Ciceronis *de Legibus* (†) excitari satis est. Abesse, queritur Atticus, historiam a literis Latinis, et in Sisenna, qui omnes priores superavisset, puerile quiddam esse, nihil oratorium, nihil, quod rei dignitati satisfaceret: itaque, ut hunc quoque locum expleat Cicero, relictum a reliquis, vehementer eum adhortatur. Non nimis abiecte sic de istis historicis pronuntiari, intelligimus quodammodo e fragmentis, in quibus, non dicam elegantiae et ubertatis, sed vel diligentis politique sermonis indicium vix deprehendimus. Quae si de iis vere affirmantur, quos tamen literatos fuisse, et scribendo operam dedisse constat, quid sentiendum sit de oratoribus, quorum permulti commentandi scribendique laborem reformidabant, in promptu est.

(*) Brut. 37, 140. (†) I, 2.

Sed novum quid attulisse Q. Hortensius dicitur (*): quod quale fuerit explorare operae pretium est, quo etiam magis agnoscamus quae in prioribus oratoribus desiderarentur. Non attinet de Hortensii memoria dicere, aut de partiendi facultate: sed laudat Cicero in eo elegantiam e verborum splendore, tum compositionem et ubertatem: praedicatque eius dicendi genus acre, et vehemens et canorum: quae tamen eiusmodi erant, ut adolescentem, quam provectum aetate magis decerent (†). Genus orationis erat Asiaticum; quod a Graecis rhetoribus arcessivisse Hortensium, neque ulla domestica habuisse exempla quae sequeretur, intelligitur inde, quod demonstrandi causa Cicero ipse nullum de Romanis oratoribus, sed non nisi Graecos et scriptores, et magistros appellat. Igitur habebat Hortensius et studium illud crebrarum venustarumque sententiarum, sed quae interdum minus necessariae, aut minus utiles essent; et utebatur oratione verbis volucri et incitata, sed accurata et polita. Placebat ita multitudini, et clamores faciebat: senes, quippe Romani moris tenaciores, irridebant, saepe stomachabantur.

Ab huius aemulatione profectus est Cicero;

(*) Brut. 88. sqq. (†) Ibid. 95.

qui, quo modo illum superare studuerit, multum interest ut quaeramus. Nam quum praecipua laus Hortensii contineretur tum ingenio, quod crebras illas suppeditabat sententias, praeterea memoria, quae mirifice eum in partiendo et refutando adiuvabat, postremo voce et actione plena dignitatis et venustatis; neque haec sprevit Cicero, et alia attulit, quibus omnes, qui ante ipsum fuerant, caruerant (*). Nemo diligentius Graecis disciplinis operam dedit, tum philosophiae, tum dicendi artis: quodque alii obiter fecerant, ut Graeci vel philosophi, vel rhetoris audiendi opportunitatem, si qua forte aut Romae, aut in Graecia daretur, non negligerent, ipse adolescens assiduoque studio ita consectatus est, nihil ut aliud spectare videretur. Sunt huius studii testimonia in promptu. Neque idem intermisit postea; sed tum vir factus declamitabat quotidie, et cum Graecis magistris exercebatur, et Graece dicens, et Latine (†); tum plurimum omnium *stilus* attulit praesidii, quem in dialogo *de Oratore*, » optimum dicendi magistrum" appellat. Sic ea, quae gravissimis disciplinarum studiis perceperat, ad orationis ornatum et copiam transferre coepit, Latinique adeo sermonis indolem dicendique ge-

(*) Brut. 93, 322. (†) Brut. 93, 321.

nus patrium ad Graeca exempla refingere instituit. Hoc est illud, quod de se memorat (*), »propter »exquisitius et minime vulgare orationis genus se »animos hominum ad se *dicendi novitate* con»vertisse." Quapropter, priusquam de hac oratoria facultate quid mihi videatur exponam, duo potissimum consideranda sunt. Quaerendum enim qua re a ceteris distaret oratoribus Cicero; tum, quo modo factum sit, ut huius propemodum unius et nomen ad posteritatem celebratum, et volumina servata sint.

Non credibile est una ingenii magnitudine, aut propria quadam naturae bonitate superavisse reliquos Ciceronem. Dicatur hoc in Demosthene, cui primas tamen ita concedimus in Atticorum eloquentia, ut in Aeschine, in Lycurgo, in aliis quoque perquam similia deprehendamus, omnesque ex eo studio *tutandae veritatis* (†) fluxisse agnoscamus: itaque decem illorum, uno excepto Hyperide, servavit antiquitas monumenta, neque unius praestantia ceteros obscuravit aut exstinxit. Genere ipso, in primis compositionis, ornandaeque orationis, longe diversus ab aequalibus fuisse videtur Cicero, quos non eiusdem laudis aemulos habuit, sed suum sibi habere concessit, ipse novum quid-

(*) Brut. 93, 321. (†) Orat. II. 23, 94.

dam quaesivit. Nihil commovet me nonnullorum obtrectatio (*), ut Galli Asinii, et Largii Licinii, qui vitia orationis in Cicerone inimice pluribus locis insecuti sunt: sed eorum aut reprehensio, aut dissensio, qui una cum Cicerone forum obtinuerunt, Coelii, Licinii Calvi, ipsiusque Bruti. Coelii, cuius diu perierunt orationes, quam accurata, apta, et in primis elegans et urbana, plena ingenii et facetiarum sit oratio Latina, satis nobis declarant eius Epistolae, quae octavum librum Epp. ad Famil. explent, suumque in illo Tulliano volumine locum mirifice tuentur. Huius igitur clarum fuit nomen illo tempore, ut oratoris: igitur prudentissimus ille scriptor Dialogi de Oratoribus cum Tacito edi soliti (†), »si non universae, in-»quit, eius placent orationes, at partes earum, in »quibus nitorem et altitudinem horum temporum »agnoscimus." Nam quod addit de sordibus verborum, et hiantem compositionem memorat et inconditos sensus, qui redoleant antiquitatem; idem genus antiquitatis in Cicerone reprehendit. Non sane, quantum oportebat, huius praedicavit in dicendo laudes Cicero in Bruto (§); fortasse odio earum in re publica partium, ad quas Coelius se

(*) Quintil. I. O. XII. 1, 22. Gell. XVII. 1, ibique viri D.
(†) Cap. 21 et 18. (§) Cap. 79.

inconsiderato impetu, relictis veteribus amicis, contulerat. Et invidiam inter hos viros viguisse, recte observatur in eodem Dialogo Corneliano (*). Sed magis apparet dissensio inter Calvum et Ciceronem. Hic de Calvo iudicans (†), »literis, »inquit, eruditus fuit, et accuratius quoddam »dicendi et exquisitius afferebat genus: quod »quamquam scienter eleganterque tractabat, ni»mium tamen inquirens in se, atque ipse se obser»vans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam »verum sanguinem deperdebat:" tum eius orationem *nimia religione attenuatam* appellat, quae doctis tantum esset illustris, a multitudine devoraretur. Sed Calvus Atticum se dici oratorem volebat: quod ita reprehendit Cicero, ut dicat, quod vere Atticum sit, commendari absentia insulsitatis et insolentiae: sed non unum hoc esse Atticum, quod politum, et urbanum, et elegans sit, praesertim si cum ieiunitate, et siccitate et inopia sit coniunctum. Quam sententiam pluribus locis explicat Cicero (§): et de industria sic ad Brutum in illis commentariis scribebat, quod ipse Brutus Calvi illud genus Atticum, ut videtur, probavit ipseque secutus est. Itaque *ad Atticum* (*) scribens post

(*) Cap. 25. (†) Brut. 82. (§) Orat. 7-9. Tusc. II, 1.
(*) Lib. XV, 2.

Caesaris necem, »Brutus noster, inquit, misit ad »me orationem suam, habitam in concione Capi»tolina; petivitque a me, ut eam nec ambitiose »corrigerem ante, quam ederet. Est autem oratio »scripta elegantissime sententiis, verbis, ut nihil »possit ultra. Ego tamen, si illam causam habuis»sem, scripsissem ardentius: ὑπόθεσις, vides quae »sit *pro persona* (*) dicentis. Itaque eam corri»gere non potui. Quo enim in genere Brutus noster »esse vult, et quod iudicium habet de optimo ge»nere dicendi, id ita consecutus est in ea oratione, »ut elegantius esse nihil possit. Sed ego solus alius »sum, sive hoc recte, sive non recte. Tu tamen »velim orationem legas, nisi forte iam legisti, »certioremque me facias, quid iudices ipse. »Quamquam vereor ne cognomine tuo lapsus, »ὑπεραττικὸς sis in iudicando. Sed si recordabere »Δημοσθένους fulmina, tum intelliges, posse et ἀτ»τικώτατα gravissime dici!" Hinc est illud, quod in Dialogo *de Oratoribus* (†) dicitur: »legistis »utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas »epistolas (§): ex quibus facile est deprehendere, »Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et »attritum, Brutum autem otiosum atque disiun-

(*) Sic malo corrigere, quam *et persona*, ut fecit Orellius.
(†) Cap. 18. (§) Cf. Cic. ad Div. XV, 21.

»ctum: rursumque Ciceronem a Calvo quidem »male audivisse, tamquam solutum et enervem: a »Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tamquam »fractum atque elumbem."

Sed video haec omia perquam otiose cumulari, nisi ostendatur, quid istis vocabulis tam indefinitis contineatur, quidque tandem sit, quod potissimum ad nostrum consilium pertineat. Nimirum nihil istorum refertur ad eam bene dicendi partem, quae aut invenienda oratione, aut disponenda continetur. Fuerit sane alius in eo genere alio acutior, aut promtior: sed tam diuturna, tamque necessaria fuerat illa contentio, nullo modo ut credibile sit quemquam in ea non summo studio elaborasse, tantumque consecutum esse, quantum ingenio poterat: adeo, ut novi nihil a quoquam exspectari potuerit. Quod quaerebatur, et in quo dissentiebant, ratio erat ornandae orationis, ad copiam, ad varietatem, ad affectum, et ad compositionem enuntiationemque sententiarum. Nihil sane huc pertinent ea, quae ipse de se Cicero memorat in *Bruto* (*), quibus bonis instructus, Hortensio florente, reliquos antecesserit, exquisito studio literarum et philosophiae, scientia iuris civilis, cognitione historiae Romanae: aliquanto magis, quod

(*) Cap. 93, 322.

orationem a definita disputatione hominis et temporis ad communem quaestionem universi generis traducere, variosque affectus dicendo impellere posset. Sed pressius id, quod volumus, tetigit scriptor Dialogi *de Oratoribus* (*) qui, »Primus »(Cicero), inquit, excoluit orationem, primus et »verbis delectum adhibuit et compositioni artem, »locos quoque laetiores attentavit, et quasdam »sententias invenit." *Locos laetiores*, et *quasdam sententias*, ex ingenio huius scriptoris, intelligo tum de interpositis sententiis, quae ad virtutem, ad gloriam, ad fortitudinem, ad hominum et ad rei publicae caritatem, ad animorum immortalitatem, ad deorum immortalium religionem pertinent; tum de ornamentis petitis subinde e poëtarum commemoratione: quod postremum genus in primis placuisse videtur illis temporibus, quibus ille Dialogus assignandus est (†).

Verba et sententias laudari a Cicerone tum in Hortensio, tum potissimum et in Calvo, et in Bruto, modo vidimus, et tam effuse laudari, ut nihil elegantius esse posse dicat. Et tamen in hoc uno totum discrimen situm esse videtur, quo ita segregaretur ab istis Cicero, ut Attico scriberet, *ego solus alius sum.* Profitebatur quidem se veram

(*) Cap. 22. (†) Vid. Cap. 20.

illam ac sanam vim Atticae eloquentiae longe anteponere aliis omnibus; neque Asiaticos rhetores sine reprehensione dimittere solet: sed ingenio ferebatur ad Isocraticam illam concinnitatem, ad ambitus (quam conversionem quoque appellabat, Graeci περίοδον,) gravitatem et splendorem, ad numeri suavitatem oratorii, tum ad illa lumina orationis et quasi formas, quae tum audaci verborum tralatione, tum compositione membrorum in singulis sententiis, quae κῶλα appellant Graeci, continentur. Atque hoc consilio totum illud genus late persequitur ad Brutum, cui dissentienti persuadere conatur, scribens in eo commentario quem *Oratorem* inscripsit (*). Postquam enim de optimo genere oratoris exposuerat, haec addit: » Sed » haec nisi collocata, et quasi structa, et nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus, adspirare » non possunt." Hinc creber est, ne omnia attingam, in commendandis numeris, tum in efferenda dignitate periodi, neutrum sine reprehensione eorum qui ista contemnerent, aut damnarent. Veluti de numerosa comprehensione (periodo) quum dixisset veteres eam ignorasse, sed quum inventa esset, plurimumque Isocratis auctoritate commendata, omnes usos magnos oratores esse (†);

(*) Inde a Cap. 41. (†) Cap. 51.

» sed habet nomen, inquit, invidiam, quum in » oratione iudiciali et forensi numerus inesse dici» tur: nimis enim insidiarum ad capiendas aures » adhiberi videtur, si etiam in dicendo numeri ab » oratore quaeruntur. Hoc freti isti et ipsi infracta » et amputata (quae opponuntur periodis) loquun» tur, et eos vituperant, qui apta et finita pronun» tiant." Sensit quidem ipse non omni orationi, neque singulis partibus istarum illecebrarum studium convenire, prudenterque de ea moderatione praecipit (*); sed an moderate ipse perpetuo usus sit, praeceptoque ipse suo paruerit, dubitari potest, et quaeri diligentius. Tantum novimus, hanc artem talem tantamque ei visam esse, ut praecipuam, nisi omnem, in ea poneret bene dicendi laudem. *Nos fortasse perfecimus*, inquit (†): nec dubium est, qui talia sentiat, quin longe multumque a se reliquos superari crediderit. Gloriari certe talibus videmus ex Ep. ad Atticum(§), in qua scribit de iis, quae in senatu acta essent in causa religionis Clodianae: quo loco, Crassi sententiam orationemque quum memorasset, sic de eodem pergit. »Quid multa? totum hunc locum, quem ego » variis meis orationibus, quarum tu Aristarchus » es, soleo pingere, de flamma, de ferro — nosti

(*) Cap. 62. (†) Ibid. (§) I. 14.

»illas ληκύθους — valde graviter pertexuit." Intelligebat autem Catilinarias, in quibus ista ad satietatem fere usque elaboravit, seseque illis fulminibus iactavit (†). Dein addit de sua oratione, quum post Crassum sententiam rogatus esset: »Ego autem ipse, scribit, dii boni! quo modo »ἐνεπερπερευσάμην (venditavi me) novo auditori »Pompeio! Si umquam mihi περίοδοι, si καμπαί, »si ἐνθυμήματα, si κατασκευαί suppeditaverunt, »illo tempore. Quid multa? clamores. — Nosti »iam in hac materia sonitus nostros: tanti fuerunt, »ut ego eo brevior sim, quod eos usque istinc ex»auditos putem." Quid ipsi Attico, cui tamen longe plurimum tribuebat Cicero, de isto genere videretur, modo intelleximus. Quumque anno post reditum uterque de Ciceronis consulatu graece scripsisset, Tulliusque suum commentarium Attico mitteret, lecto iam Attici libro, haec ad eum scribit(*): »quamquam tua illa — legi enim liben»ter, — horridula mihi atque incomta visa sunt: »sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta

(†) Semel omnino Lysias, in causa gravissima, Contra Eratosth. p. 306. Bekk. ἐπετρέψατε αὐτῷ πατρίδα καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ ὑμᾶς αὐτούς. Centies, contra, Cicero, *Quiritium vitam*, *bona*, *fortunas*, *conjuges*, *liberosque*. Et omnino longum est demonstrare quam multa sint in Tullio, quorum in Demosthene, omnium tamen δεινοτάτῳ, vix vestigium deprehendatur. (*) II, 1.

»neglexerant; et, ut mulieres, ideo bene olere, »quia nihil olebant, videbantur. Meus autem li- »ber totum Isocrati μυροθήκιον, atque omnes eius »discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristote- »lia pigmenta consumsit." Dicuntur haec, fateor, in diverso genere, non in illo forensi dicendi: sed confirmant ea, quae intelligi volumus, primum, qua in arte eloquentiae laudem positam esse censeret Cicero, tum toto genere eum ab omnibus, qui illis temporibus et prudentes, et diserti fuerunt, discrepasse. Historiam, si voluisset, quo modo scripturus fuisset, satis apparet ex iis, quae in exordio operis de Legibus scripsit, *opus hoc videri sibi unum oratorium maxime.*

Nihil opus est, quae universe disputavimus, exemplis confirmare. Sed videamus qualem sui famam excitaverit Cicero. Vehementer admirari solitam fuisse multitudinem, et capi istis vel lenociniis, vel tragoediis, non est quod dubitemus, satisque operam dedit ipse Cicero ne ignoraremus. Neque eruditi etiam non plausus dederunt, quamquam nec probatum iis totum genus fuisse, neque imitandum sumsisse, satis nunc constat. Unum de aequalibus nactus est laudatorem, C. Caesarem, cuius verba recitat ipse e libro eius *De ratione Latine loquendi* (*), in hanc sententiam, ut

(*) Brut. Cap. 72, 253.

diceretur *paene princeps copiae atque inventor.* Neque tamen quisquam affirmaverit, copiam quum laudaret Caesar, myrothecium illud Isocrateum significare voluisse. Contra fuisse, qui talia riderent, ipsique obiicerent, testis est Laterensis, adversus quem Cn. Plancium defendebat, quique ipse studiosissimus tamen erat Ciceronis (*). Quod autem permultis placuit ista oratio ornata, in qua multis locis enucleatam fere, non modo explicitam, scholam rhetorum videre licet, argumento est novissima quaeque vulgo placere, non item perpetuam et veram approbationem futuram. Sed non segregasse videtur ipse Cicero, quid interesset inter vulgi clamores, et intelligentium iudicium. Expetebantur sane volumina eius, quae studiose edere solebat, quippe quae *deberentur*, ut aliquoties scribit ad Atticum(†), *iuventuti nostrae.* Delectabatur hac auctoritate et gloria: sed quis nescit libentissime saepe legi ea, quae cum fastidio in veritate causarum et in ipso rerum discrimine audiantur? Hinc summorum, qui ante fuerant, Romae oratorum negligebantur, Ciceronis aetate, actiones (§). Hinc ipse Cicero, exempla quaerens, in Latinis, generis vehementis, incensi, incitati, quo παθητικὸν contineatur, nul-

(*) Planc. 31, 75 et 34, 83. (†) IV, 2, 2. (§) Brut.

la se reperire dicit ($_*$); Crassi certe perpauca esse, nihil Antonii, nihil Cottae, nihil Sulpicii: dixisse melius quam scripsisse Hortensium: sumenda exempla esse a Demosthene: se tamen magno semper impetu adversarios de statu deiecisse. Et de Hortensio affirmat quoque Quinctilianus (*), ubi, secundum Demosthenem et Ciceronem primas actioni et pronuntiationi concedens, hac et illos, quos modo memorabam, plurimum perfecisse testatur, et Hortensium: «ut appareat, placuisse aliquid eo »dicente, quod legentes non invenimus."

Sed, ut porro progressum videamus eius admirationis, qua Ciceronis ferebantur orationes, Caesaris iam facta mentio est de aequalibus; cuius nihilominus testimonium honorificum magis universe enuntiandi copiam, quam proprias oratoris laudes spectabat. Et pariter de aequalibus intelligenda sunt Cornelii Nepotis verba in fragmento libri de Historicis Latinis (†). Queritur hic »unum »hoc genus Latinarum literarum (nempe historiae) adhuc non modo non respondere Graeciae, »sed omnino rude atque inchoatum morte Cice»ronis relictum: — quippe qui oratoriam elo»quentiam rudem a maioribus acceptam perpoli-

($_*$) Orat. 38, 132. (*) I. O. XI, 3, 8. (†) Ex Cod. Guelph. apud Heusinger.

»verit cet." Quae eo pertinent, ut dicatur universe ornatius et elegantius scripsisse Ciceronem, quam reliquos: videturque dici cum admiratione Theopompi, Ephori aliorumque, qui ex rhetorum Graecorum scholis profecti essent historici. Sed quam rationem historiae conscribendae a Tullio exspectabat, hanc minime aliis placuisse, intelligimus e monumentis iis, quae et Salustius et Livius condiderunt, (nam Caesaris non nisi commentarii sunt): neque quas illi finxerunt orationes historiisque inseruerunt, quidquam simile habent vel compositionis Tullianae, vel celebratae illius copiae et varietatis. Invalescentibus autem paullatim rhetoribus Latinis, de quorum ortu nobile exstat fragmentum commentarii a Suetonio editi, reciderunt Ciceronis actiones in has scholas, exemplaque istis magistellis praebuerunt Figurarum (sic appellabant) orationis. E quibus antiquissimus fortasse est Rutilius Lupus, qui imperante Augusto vixit; et in cuius Epitome, qua sola utimur, Paronomasiae certe exemplum e Cicerone petitum esse demonstravit Ruhnkenius (*). Haud ita multo post et Senecam (†) deprehendimus et Velleium Paterculum (§), qui oratorias Tullii virtutes laudibus in coelum ferrent. Sed hos ego tum testes esse in re

(*) Pag. 12. (†) Ep. XL. (§) I, 17, 3.

difficili dicam, si ipsorum monumenta prodentur, e quibus conficiatur neque Senecam aspero et incondito, neque Velleium inflato et ventoso genere scribendi usum esse. Et Senecae iam aetate bene dicendi scribendique omnem operam et iudicium ad imitandi libidinem atque ad haesitantem exemplorum delectum lapsum esse, quum corruptis moribus ac temporibus obrueretur ingenii vis, quae ipsa sibi auctoritatem pareret, complures eius philosophi Epistolae comprobant. Ciceronem cogitari tamen ab eo puto, haec quum scribit(*): »nullum sine venia placuit ingenium. Da mihi quemcumque vis magni nominis virum: dicam, quid illi aetas sua ignoverit, quid in illo sciens dissimulaverit. — Dabo, inquam, maximae famae, et inter miranda propositos: quos si quis corrigit, delet. Sic enim vitia virtutibus immixta sunt, ut illas secum tractura sint." Tum diserte Tullianam reprehendit compositionem, quam »in exitu lentam, devexam, et molliter desinentem appellat, nec aliter, quam solet, ad morem suum pedemque respondentem"(†). Secuta est ingens scriptorum cohors: in quibus, si Quinctilianum rhetorem excipis, (in quo agnoscas oratoriae virtutis existimatorem prudentem, sed rhetorem tamen, et

(*) Ep. CXIV. (†) Ibid. Conf. Ep. C.

a forensi eloquentia remotissimum), tum Plinium Secundum, puerili studio Ciceronis compositionem aemulantem, deflorescentem animadvertere et tamquam gradibus notare licet bene apteque Latine scribendi laudem, contraque κακόηθες illud, et ex perversa rhetorum disciplina, poëtarumque imitatione ortum studium acutularum sententiarum, grandiumque verborum, amissa prorsus, non dicam sincera illa et eleganti et tersa orationis Latinae laude, quae Ciceronis aetate politissimorum hominum studiis celebrabatur, sed ipsa illa incorrupta gravitate vere Romana, quae et ante floruerat, et diu optimi cuiusque operibus commendabatur, quaeque in Dialogo de Oratoribus (*) tamquam in antiquitatis vitio et sordibus adeo ponitur. Et huic scriptori, quum laudanda potius viderentur ea, propter quae in aequalium reprehensionem incurrere vidimus Ciceronem, tantum nihilominus tribuendum est, ut verissime de universa compositione Orationum Tullianarum iudicare dicendus videatur. Laudatis enim potissimum iis, quas senior composuisset, »priores eius, inquit (†), orationes »non carent vitiis antiquitatis: lentus est in princi»piis, longus in narrationibus, otiosus circa exces»sus, tarde commovetur, raro incalescit, pauci

(*) Cap. 18. (†) Cap. 22.

»sensus apte et cum quodam lumine terminan-»tur." Sed idem mox alia subiicit, e quibus iam corruptum eloquentiae studium odorari licet, admixtis nonnullis, quae demonstrant, tum quoque fuisse multos, qui peculiaria quaedam in Cicerone admirarentur et exprimerent, quique se antiquos oratores vocarent, si tertio quoque sensu *esse videatur* posuissent, aut similia aemulati essent. Nihil autem illustrius eo libello probatur, nisi id, quod modo dicebam, de insana admiratione rhetorum istius aetatis, et poëtarum: unde qualis orationis forma orta sit, pulcre demonstravit elegantissimus Graevius in Praefat. ad Florum.

Scilicet discerpta erant iam diu bonarum artium studia, et in praeclarissima literarum monumenta involabat alius aliud spectans, ad suam quisque artem exornandam tamquam tributum exigens, parumque curans, quid et quantum auctores secuti essent (*). Seculo iam altero post Christum vera iudicandi de Cicerone ratio amissa erat. Redierat res ad rhetorum scholas, in quibus Cornelius Fronto fuit, et ad Grammaticorum et Antiquariorum alienissimum ab eloquentia studium, quorum fa-

(*) Seneca Ep. CVIII: *Cum Ciceronis libros de Re Publica prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiae deditus, alius alio curam suam mittit*, cet.

miliam ducit Aulus Gellius. Horum cura et delectu factum est, ut tantum non omnes celeberrimi oratores perierint, quorum satis multos Quinctiliani aetate superstites fuisse novimus, uniusque Ciceronis volumina vel ad imitandum proponerentur, vel notandis figuris structuraeque exemplis destinarentur. Veterum illorum oratorum Romanorum fragmenta collegit diligentissime Meyerus, Turicensis: sed operae pretium est animadvertere, inde a Nonio Marcello et Aquila Romano, qui floruerunt tertio seculo post Christum, vix reperiri, qui ex orationibus forensibus memoretur, praeter Ciceronem. Ex illo inde tempore celebratae illius facundiae monumenta non amplius utilitatis pondere aut imitandi necessitate florebant, sed umbraticis magistellorum studiis, antiqua consectantium, inserviebant, totaque ad historiae memoriam, tamquam Romulus et Camillus, revocabantur: nullam certe, si qua subinde per declamationem inanem Ciceronis admiratio emerserit, auctoritatem aut commendationem afferet apud eos, qui quid verum, quid rectum sit, assiduo studio multorumque collatione existimare conentur. Sed neque hoc, neque qui sequentia secula invasit contemtus optimarum literarum, quidquam aut detrahit verae Ciceronis existimationi, aut addit eodem.

Magis advertit nos incredibile, post renatas li-

teras, Orationum Tullianarum studium, earumque consentiens fere commendatio ab hominibus non doctis tantum, sed acutis et elegantissimis profecta. Quam tamen auctoritatem ne opus quidem est, in ea re, quae disputatione et sensu continetur, nullius esse momenti contendere. Sit illa per se gravis, minimeque contemnenda : sed qualis et unde orta sit, magis quaerere attinet. Nam quid mirum est, quum primum haec Tulliana volumina, quae diu in monasteriorum tenebris et claustris delituerant, foras proderentur, Italos, quorum iam seculo 13^{tio} ingenia ad elegantis orationis sensum iudiciumque, politissimorum scriptorum ex illo aevo auctoritate, excitatus erat, egregias plane et eximias veteris facundiae dotes amplexatos esse, et per earumdem assiduam tractationem, Latine si scriberent, priores sordes sermonis deposuisse, cunctaque ad nitidissimum, quod intuebantur, Romanae concinnitatis exemplar revocasse? Quae studia minorem habent etiam in iis Europae tractibus admirationem, in quibus nullae tum patriae literae florebant, nihilque diu edebatur, quod cum illo limato Ciceronis dicendi genere conferri posset. Postea quam novissimis seculis efflorescere non tantum coeperunt hodiernae literae, sed multis etiam ad summum pervenisse creditae sunt, iure quidem docti vindicarunt in

multis generibus veterum principatum, sed nimia admirationis religione nonnulla sic commendarunt, tamquam si extra horum imitationem nihil quod rectum, quod laudabile, quod immortale futurum esset, exspectari posset. Non loquor nunc de aliis, sed, Ciceronis Orationes quod attinet, perniciosissimam esse hanc opinionem contendo verae eloquentiae forensis studio; multoque praestare, si quis demonstraverit alias esse huius facultatis laudes, quas nemo non consectari debeat, alias, quarum voluptate domi legentes impune fruamur, sed ita continendas ne foras nobiscum exeant, ut hac una cautione vanae ineptaeque loquacitatis reprehensionem redimere quis possit.

Omnino ne doctis quidem, et a fori iudiciorumque turba remotissimis prorsus otiosam hanc quaestionem esse, sed in primis pertinere ad interpretationem iudiciumque de singulis locis et voluminibus regendum, non ipse nunc primus dico, sed auctorem praesto Madvigium (*), virum acutissimum; qui, castigans eos qui aut IV^tam Catilinariam, aut alia Ciceroni abiudicarent, quod futili plerumque argumentatione uterentur, aliis positis, haec subdit: »postremo Ciceronem perfe»ctum esse oratorem statuunt, quid autem sit Ro-

(*) Opusc. Acad. p. 192.

»manis perfectum visum, suo iudicant sensu; »quae displicent, Ciceroniana esse negant. Qui »si totum Ciceronis scribendi genus libere consi- »derassent, nossent, multa Romanis oratoria visa »esse, quae nobis declamatoria videantur, flumen »ornatorum verborum, si logicorum severitas ad- »hibeatur, turbidum saepe reperiri, argumenta »multa et enthymemata, et valde infirma poni, et »eadem aliis atque aliis verbis repeti, cet." Verum, quod dixi, accuratius haec demonstranda sunt alio tempore: neque tamen in Sextiana interpretanda admonendi opportunitatem negligemus. Madvigium quod attinet, quum universe recte sentiat, tum temere mihi videtur genus illud Romanis perfectum visum esse affirmare: et, quod ad totius cuiusdam voluminis iudicium attinet, sitne v. c. oratio pro Marcello, aut IV^{ta} Catilinaria, aut illae Post Reditum, vere Ciceronis; minime illa disputatio intra vocabulorum aliquot et locutionum terminos continetur, sed ex ingenio Ciceronis diiudicanda talia sunt, quod in maxima parte Orationum cernitur. Concedimus Tullio, ut iactet sese in illa Isocratea concinnitate, ut periodorum ambages aucupetur, ut sonum quaerat et numeros, ut paucos locos dimittat, nisi exhausta copia illa verborum et figurarum, cuius auctor habitus est; patimur etiam hic illic nonnulla *νεανικὰ* et *φορτικὰ*,

quamquam abesse talia malimus; sed ut plane stolida quae sunt, et inania, et inepta, non minus sententiis, quam verborum aut delectu, aut compositione, quaeque omnino eiusmodi esse reperiuntur, ut nullam deprehendas vel sentiendi laudem, vel argumentandi sagacitatem, vel animum oratoris suae pariter dignitati, quam causae, quam defendat, consulentis; talia, ut pro Tullianis venditentur, hoc minime ferendum est, et ne tersissima quidem oratio evincere poterit.

Sed satis mihi disputavisse videor, quantum huius horae angustiae et opportunitas patiebantur, perperam statuere eos, qui et antiquitus perfectissimam bene dicendi speciem Tullianis Orationibus contineri existimatum esse putant, et hodieque nullum illustrius exemplum ad imitandum commendari posse credunt: contra, ut plurima sint plane egregia et admirabilia, inesse tamen haud pauca, a quibus cavere oporteat eum, qui sanae eloquentiae nomen tueri velit.

Longi sermonis initium pepuli, Ornatissimi Auditores, commovique rem, quae si minus continua disputatione absolvenda, tanto magis constituenda est et corroboranda diligenti et perpetua

consideratione et commentatione voluminum Tulliauorum. Cuius studii exordium dum felix faustumque precari cupio, vobisque florentibus vigentibusque hunc reditum ad Academiae scholas fortunatum vovere, ecce! invadit cogitatio, recenti casu excitata, quam fragilia, quamque caduca cuncta humana sint, maximeque ea ipsa, quibus Academiae nostrae fama literarumque studia tamquam fulcris niti videbantur. Non attinet commemorare quam inexspectato, quamque vehementer, ante hos duo menses, nuncius de Reuvensii, vere nostri, morte animum meum perculerit. Discesseramus, instantibus feriis, recte valentes; videramque Reuvensium tunc ardentem, ut semper, studio, industria, novorum consiliorum meditatione, quibus persequendis feriarum otium destinabat. Erat enim, ut nostis, insatiabilis in hoc viro doctrinae cupiditas, ingenium acre ad exploranda remotissima et obscurissima quaeque, constantia, dicam fere pertinacia, in tolerandis magnorum coeptorum laboribus plane singularis. Genus studiorum delegerat, inde ab eo tempore, quo in huius Academiae cathedram traductus erat, neglectum fere in patria nostra, et ab indoctis cunctis et semidoctis, quae talium homuncionum est perversitas et plane ridicula impudentia, derisum et contemtum, aliis in oris iure honoratum, civiumque

studiis et favore sustentatum. Reuvensius, cui regia liberalitas plura tribuebat, quam popularis et plebeia parsimonia, ex sordida utilitatis interpretatione, poterat ullo modo probare, incredibili industria, acerrimaque ingenii contentione eos brevi in illa disciplina progressus habuit, ut, quum parum curaret, quas domi patiebatur, stupidorum et baiulorum insulsas facetias, clarum foris adipisceretur nomen, utque scripta eius, quamquam numero pauca, et ipsi, et patriae nostrae, et Academiae eam famam conciliarent, quam ne centeni quidem de circumforaneis illis doctrinae eruditionisque existimatoribus sustentare possunt. Et, si fortitudo alia in aliis censetur, pro diverso cuiusque vitae instituto, haec est docti viri et studiosi fortitudo, nullis impedimentis retardari in literarum omnisque doctrinae commentatione; contemnere popularem auram, quae loquaces et vanos disciplinarum caupones comitari solet; multo assiduoque labore consectari paucorum sed intelligentium approbationem, quippe quae solida laus et gloria est, multum anteponenda otiosorum proletariorumque ineptis salutationibus, aliisque quae vulgus honoris insignia stupet; vitam ipsam omnesque vires sive ingenii sive fortunae impendere in arduas molestissimasque investigationes, si modo inde lux aliqua doctrinae oriatur, huma-

nitatique fructus constet; non accommodare se praesentis et circumstantis turbae levibus studiis, magna et splendida, et utilia, si dis placet, flagitantis, sed modeste in severo et impedito et lento commentandi curriculo perseverare. Talis erat Reuvensius, quoad vixit, quum extremos quoque vitae dies, nihil de laudabili alacritate remittens, in Musei Britannici opibus explorandis, meditandisque futuris industriae suae monumentis, arduos exantlaret labores. Cui si brevior vita contigit, nihilominus exemplo erit aliis, vere doctos et suam ipsos conditionem honestare, et magno beneficio patriam obstringere, si quidquam eius intersit eruditionis et nomine et diligentia honorari. Sed in luctuosissimo casu, quantam quamque irreparabilem fecerit Academia nostra iacturam, quam valido propugnatore Batavi nominis orbati simus, qui non sentiunt, eorum miseret me et fere pudet. Vos, A. O., sentietis, spero; nec minus illum sensum retinebitis, quam studio et constantia ostendetis, quantum ipsi ea quae honesta sunt, et solida, et illustria, anteponatis ineptiis, et fragilibus et sordidis. Quae si bene auguror, auspicato scholas has instaurabimus, vosque et ipsis vobis, et humanitati, et huius Academiae famae egregie consuletis.

II.

In obitu Hamakeri.

(In prima, quae mihi post Hamakeri, viri desideratissimi, obitum habenda schola fuit, continere dolorem nec potui, nec volui. Pertinere arbitrabar ad studiorum auctoritatem ac dignitatem, ut excellentissimarum laudum admiratio excitaretur, pietasque in claris Academiae doctoribus exstaret. Et, si postulatur a me, ut explicanda humaniorum literarum vi ac praestantia erudiam iuventutem, nihil officio coniunctius est, quam eius disciplinae orbitatem, illustri sublato ornamento, deplorare, nihil certe magis humanum, quam homines nos esse recordari. Allocutus sum igitur Auditores sic, quemadmodum animus continuis com-

plurium dierum angoribus pressus et iactatus vel patiebatur, vel iubebat. Audivit me ornatissima iuvenum corona eo vultu, eoque silentio, facile ut intelligerem non verborum delectu orationisque artificio, quod nullum spectare potueram, sed rei ipsius momento vehementer eorum animos commoveri. Ea quod nunc edo, non facio efflagitatus ab aliis, sed meo proposito; ut iusta tribuam Hamakeri manibus, non quo praeclaris viri laudibus satisfactum a me esse existimem. Sed, quemadmodum, hoc ut suscipiat aliquando, impetraturum me a Geelio meo spero, sic exstare volui, unde cognoscerent alii, si qui essent qui curarent, quid ipse de Hamakero sentirem, quoque animo et tulissem semper, et nunc in primis ferrem insanam nonnullorum tum cupiditatem, tum improbitatem, non minus Academiae nostrae et germanae eruditionis studiis, quam ipsius viri laudatissimi animo ac voluntati adversantem. Dolentius si dixi, factum est acerbitate moeroris, quem in tam recenti casu mitigare nullo modo poteram. Honesta sensisse me, ipse mihi conscius sum, qui alienis molestiis, non meo incommodo moverer. Igitur totum me aperui Auditoribus: hoc quippe semper spectavi, ut veterum literarum disciplina non tantum bene

intelligendi dicendique praecepta, sed recta quoque et honesta sentiendi praesidia contineret.

Scripsi Lugd.-Batav. die XV Octob. a. 1835.)

Quum in ipso harum scholarum introitu luctuosissimum Reuvensii obitum deploraremus, quo irreparabilem tum sentiremus Academiae nostrae optimarumque artium studiis cladem illatam esse, non putabamus fore, Auditores Ornatissimi, ut post tantillum aliquot dierum intervallum, necdum sanato iusti honestique vulnere doloris, vix respirantes nos statumque recuperare nitentes, abiiceret denuo et percelleret dirus ingentis nuncius calamitatis. Quanta nuper commiseratione funestae domus Hamakerianae affecti, quanta sollicitudine in ipsius morbo fracti debilitatique omnes boni essent, neminem vestrum latere potuit; meque ipsum, dum ex hoc loco alacriter vos docere, et in praeclaro Tullianae eloquentiae monumento diligentissime vobis interpretando salutarem animi agitationem, curarumque intercapedinem quaerere cupiebam, obruebat subinde et paene hebetabat optimi adolescentis adspectus, in cuius laudibus ac pietate acquiescere aliquando optimi

speraverant parentes, e quorum amplexu ipse tum aegre huc profectus, nunc ita iisdem orbatus est, ut nobiscum nunciis opprimeretur, carissimorum adspectu in summa animi aegritudine excluderetur. Deo aliter visum! Viderat infesti morbi vi exspirantem paucis ante diebus uxorem, ornatissimam matronam, nunc ipse iam elatus est Hamakerus, ereptus liberis, affinibus, amicis, sublatus e cathedra huius Academiae, deturbatus ex acerrima studiorum agitatione, interceptus ex laetissima spe discipulorum universaeque patriae! Poenitet fere in luctu et molestia animi tam multa profundere verba; quae si offendunt alios ut conquisita, mihi, vere dicam, non satisfacio ipsi, quod in acerbo doloris sensu nulla reperio nisi quae vulgo trita sunt, turpique abusu eviluerunt. Sed meam infantiam inopiamque vestro, A. O., compensari video affectu et comprobatione. Macti virtute estote! Sic decet generosam iuventutem, graviter commoveri vel in tam insperato rerum humanarum eventu, vel in tam acerba quam patria fecit iactura, vel in hac nobilissimae cathedrae orbitate, quam Academia Lugduno-Batava deplorat.

Et in tam recenti gravissimi casus memoria obruitur animus, etiam si e lacrymis emerserit, cogitationum sollicitudinumque tamquam onere et numero, nec facile reperit in quo acquiescat. Vo-

bis, A. O., nihil tam fructuosum est, vel ad patriae caritatem, vel ad virtutis admirationem, vel ad studiorum constantiam, quam clarum Hamakeri exemplum et imaginem intueri, ut, cuius exstincti nuncio afflicti modo et prostrati essetis, eiusdem vigentis et florentis sit recordatio salutaris, omnisque laudis parens. Me autem, quamquam egregii viri amicitia et familiaritate ita usum, ut gloriari solerem, ne exspectate tantae excellentiae imaginem descripturum esse. In quibus ille doctrinae ubertate, ingenii praestantia, inventorumque admirabilitate regnabat, longe erant a meorum cursu studiorum remota, plurimumque meam superabant mediocritatem. Sed acerrimae contentionis, industriae plane singularis, acuminis in disserendo admirabilis exemplo ita non capere, sed percellere cunctos qui eo utebantur solebat, ut, qui libero solutoque omni invidia animo essent, illius luminis tamquam tactu colorari sese sentirent. Atque haec indolis ingeniique magnitudo tanta fuit in viro incomparabili, ut iam ab adolescentia, fortunae claustris refractis, ipse sibi viam munivisse ad famam nomenque existimandus sit. Itaque tum privatus et obscurus, quum vitae institutum illiteratum aegre sequeretur, parentibus propemodum invitis, non perrexit, ut alii, sed erupit ad haec studia literarum, suoque exemplo comprobavit, quanti

intersit non repugnare naturae, sed hac explorata vitae cursum deligere. Sero hunc campum nactus, in quo non vagaretur, sed excurreret, brevi temporis iacturam inexhausta industria compensavit, nec prius fere discere visus est, quam doctus esse. Sic Franequeranae cathedrae honorem non astutis callideque subornatis commendationibus, non suorum opibus, non gratia amicorum venatus est, sed expugnavit fama eruditionis invicta, incredibilique quam sui excitarat exspectatione. Quod, in primo ingressu honorum dictum, valuit perpetuo in omni reliquo cursu, cuius singuli propemodum anni totidem triumphi extiterunt, quos eximiarum laudum explicatione vel ex aliorum invidia, vel ex nonnullorum calumnia, vel denique e multorum inertia reportaret: ita ut, quaecumque ad eum vel beneficia honoris, vel virtutis testimonia deferrentur, non tam ipsi gloriosa extiterint, qui tulisset, quam summo dedecori futura fuissent negantibus. Hinc intelligitis, in Hamakero quoque quam vere dictum sit illud, *suos cuiusque mores fingere fortunam.* Quum enim plerique studia hominum voluntatesque iis artibus et conciliare sibi et retinere solent, quae officii, observantiae, humanitatis, comitatisque honestis appellationibus commendantur, quaeque nihilo minus ad vitae convictusque fructum potius et suavi-

tatem, quam ad virtutis ingeniique admirationem celebrari videntur; non contemnebat quidam talia Hamakerus, qua erat indolis bonitate, sed quum dominaretur in eo acerrimus veri amor, veram quoque laudem interpretabatur eam, quae suis nixa radicibus surgeret ipsa, non alienis adminiculis indigeret. Sic tum in omni congressu experiebatur ipse, tum in ipsa laude eius aestimanda comprobabant plerique id, quod a Comico dicitur, *veritas odium parit.* Nihil iam opus est pluribus defendere, qui fieret, ut carissimus suis, iucundus omnibus non esset.

Sed hanc recordandi molestiam excipiamus consideratione eorum, quae fundamenta extiterunt in Hamakero eruditionis non tantum summae, sed iure ab omnibus, qui intelligerent, celebratae. Nam si prius monuerimus, quod in virtutis studio apud Platonem postulabat Socrates, non propter eventus, sed propter ipsam ut coleretur, sic in gravissimis in primisque arduis investigationibus versari solitum esse eum, sibi ut placeret, non ut, quae commoda fructusque inde percepturus esset, cogitaret; duo potissimum fuisse deprehendo, quae demonstrent quemadmodum non in principibus solum numerari, sed altius etiam evolare potuerit. Primum, quod plerique qui laudabilem in bonarum artium studio cursum tenent, sequi

solent, ut non doceri tantum se a magistris cupiant, sed, falsa pietatis gloriaeque interpretatione, contineri etiam intra illorum disciplinam patiantur, nihilque aut praeclarum, aut excellens esse existiment, nisi quod ex ea acceperint, postremo novorum inventorum tamquam ruinas reformident; sprevit has vel inertiae, vel arrogantiae blanditias Hamakerus, neque illas per iuvenilem disciplinam tamquam inchoatas intelligentias sic exosculatus est, ut haereret in iis: contra, semel emissus nulla religione retardabatur, si modo pergere contiuuo, et, quae prius undecumque percepisset, ingenti variae eruditionis apparatu corrigere et complere posset: itaque disciplinae finibus prolatis nihil non studiosissime appetebat, quo studiorum ambitum et officium amplificandum, fructuumque tum ubertate, tum novitate commendandum esse videretur. Sed, quod alterum est eorum quae intelligi volebam, non inconsiderata haec erat scientiae cognitionisque hauriendae cupiditas, coeco impetu in remotissima quaeque difficillimaque semper involans. Maturescere vidimus in Hamakero cum maximarum rerum et plurimarum copia et varietate eum animum, quo ad gravissima, non unius cuiusdam artis, sed humanae omnino eruditionis capita referret cuncta, ad regnorum civitatumque, quae antiquitus flo-

ruerunt, nunc deleta sunt, historiam, ad vetustissimarum gentium mores, opiniones, instituta, quorum in omni monumentorum genere pressa essent vestigia, ad ortum denique linguae orationisque humanae, et ad ipsam divinae naturae opinionem. Sic novam condidit Orientalium literarum scholam, non illam defixam in veterum placitorum facili et servili admiratione, neque conspirantem tantum cum recentissimis aetatis nostrae inventis, sed plane singularibus sagacissimi viri dotibus constitutam et ad sapientiae fructum ornatam. Quam utinam laudatissimorum alumnorum coniunctis viribus et industria hic continuari videamus, itaque et patriae gloriam propugnari, et huius Academiae decus nomenque servari!

Sic enim habetote, A. O.; quae una res Academiae Lugduno-Batavae dignitatem principatumque tuetur, fama est doctrinae atque eruditionis, qua inde ab ipsis fere incunabulis Rei Publicae floruit apud exteros. Non oritur illa ex aedificiorum aut supellectilis splendore, non ex principum inanibus salutationibus aut adventibus, non ex ingenti numero eorum, qui, in scholas delati, prius deserunt easdem, quam ignorantiam ineptamque vanitatem deposuerunt, non ex prava nonnullorum ambitione, qui, quod sibi ad veram famam deest, gratia apud cives putidaque domestica in circulis

et sodalitiis admiratione compensare student, quique flagitiosa inertia produnt potius ipsam arcem doctrinae, labique in ruinas permittunt, quae incredibili contentione exstruxerant maiores: sed crescit ex paucorum etiam assiduo, neque interrupto studio, qui vero scientiae amore capti hanc unam intuentur, eidemque vires ingenii industriamque ita destinant, ut publicae exspectationis tamquam onus sibi impositum esse putent, quod gnaviter fortiterque sustineant. Huic muneri qui vere satisfaciunt, raro effugiunt aut invidiam hominum mediocrium, aut contemtum multitudinis indoctae, aut, quod extremum omnium est, improba tela superstitiosorum. Neque enim, si minus hodie publicae impietatis quaestiones exercentur de iis, qui paullum diversa a recepta opinione sentiunt, idcirco, qui conscindunt hos omni suspicionum genere et licentia, qui exagitant velut pestes societatis, qui publico docendi munere aut arcendos, aut exturbandos clamant, non eadem superstitione eodemque flagitio, quo tum aut Athenienses, aut alii multi, conflictantur. Qualem furorem, callidissimis artibus excitatum, sordidaque multorum obtrectatione consistentem, quid mirum si Hamakerus quoque, qua erat et sentiendi altitudine, et libertate dicendi, tolerare debuit? Incurrebat in tam foedam hominum perversita-

tem, non invadebat: contemnebatque malevolas suspiciones, astute sparsas a nonnullis, qui in concionibus, in circulis volitare solent, praeiudicataeque opinionis iactare sese et gratia et superbia. Quantum intersit inter istos, et virum bonum, assidua studiorum intentione quaerentem quid verum, quid rectum sit, non attinet explicare: sed ignorantiae, pertinaciae, maledicendi et calumniandi notae quibus sint inustae, apertum est.

Non credibile est fore unquam, ut haec superstitionis labes, domesticarum publicarumque calamitatum feracissima, penitus ex hominum animis abstergatur: sed bonos omnes operam dare oportet ne attingat Academica gravissimarum artium studia, eaque aut retardet, aut corrumpat. Est profecto suprema quaedam species et forma scientiae et veritatis, quam tum demum intueri nobis licet, ubi soluto animo discere didicerimus, magnaque industria ex opinionum commentorumque laqueis mentem expediverimus: pessimeque iisdem studiis consulitur ab his, qui, moderationis etiam falso et inani instituto, cuncta multitudinis indoctae, inertis et superbae arbitrio temperanda censent. Non utitur iugo libertas, nec modo id quod infinitum per se est. Si qua animorum emendatio, si praesidia vitae suavitatesque ab eruditione exspectanda sunt, petantur illa ex severa, libera,

diligentique disciplinarum disceptatione in Academiae scholis propaganda. Hoc qui funguntur munere, egregie de bona causa, deque omni humanitate merentur: pauci utinam, inquit Tullius in re haud multum diversa; quorum tamen in re publica late patere poterit industria. Et in perpaucis quum unus fuerit Hamakerus, non indigetis admonitione, O. A., quantam fecerimus in talis viri obitu iacturam. Sed, cuius vivi sermones ac praecepta percipere amplius non datur, retinete, obsecro vos, mortui memoriam, sectamini disciplinae praestantiam immortalibus excellentis ingenii monumentis commendatam; vestram denique summam diligentiam studiorumque constantiam non minus huius Academiae famae, piaeque magnorum virorum memoriae deberi, quam vestrae ipsorum saluti laudique existimate. Me quidem afflictum et perculsum tanta clade si quid forte post ad laboris alacritatem honestamque laudis ambitionem revocabit, intuendo illustri Hamakeri exemplo oriturum esse sentio.

III.

Emendatur Ciceronis Sextiana. (Cap. 1—6.)

PERMULTA in castigatissimo scriptore tolerari, quae nemo est, quin, non doctus, sed admonitus repudiaturus sit, exemplo sit hoc in Sextianae initio (1, 1.) *si quis antea, iudices, mirabatur —: ex hoc tempore miretur potius —.* Legendum esse, *is hoc tempore,* ratio suadet. Neque enim quid dein, sed quid nunc mirandum sit, dicit. Milon. 2, 4: *nam, si umquam —: hoc profecto tempore —.* Conf. initium Divinat. in Caecil., et Coelianae, et Provinc. Consul., et Rabir.: pronomen additur, quasi fulcrum, post longiorem protasin, ut initio Archianae. Probavit Fr. Thierschius, Vir Cl., quo audiente haec in schola disputabam.

Repugnantibus licet omnibus Codd., non dubito, quin in sequenti sententia, post *eos, qui*, et *eos autem, qui*, utrobique revocandi sint Indicativi, legendumque, *excitarunt, liberarunt*, tum *violarunt*, cet. Certos indicat, non loquitur in genere: conf. Zumpt. Gramm. Lat. § 546. Pariter nulla causa est, cur infra Cap. 21, 47, in his, *ut vita, quae naturae deberetur* —, non recipiamus Voss. lectionem, *debetur;* quippe illa verba non praecipue ad illam argumentationem pertinent, sed explicandi causa adiiciuntur.

Difficilius est acquiescere in Madvigii (Opusc. Acad. p. 439, sq.) interpretatione huius loci (1, 2.) *Ego autem, iudices*, (*quia*, recte omittitur in Leid. quoque libris) *qua voce mihi in agendis gratiis, commemorandoque eorum, qui de me optime sunt meriti, beneficio, esse utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis, iis potissimum vox haec serviat, quorum opera et mihi, et vobis, et populo Romano restituta est.* Finienda, inquit M., sententia est in verbo *depellendis:* reliqua addi ab oratore tamquam confirmante seque exhortante, *Iis potissimum* (inquam) *haec vox s.* cet. Sed, praeterquam quod istiusmodi adiectio non fieri solet in Cicerone, nisi cum maiore ornatu orationis et ubertate, tum ita, ut per copulam cum superioribus nectatur,

(quemadmodum in proxime antecedd., in quibus, quae contractius dixerat, sic confirmat et exornat, *et, quos lapidibus* cet.) perperam sentit Madvigius, propterea ista disiungi oportere, quod inanis sic tollatur tautologia, quippe eosdem esse, quibus agendae essent gratiae, atque eos, quorum opera vox Ciceronis ipsi populoque restituta esset. Satis, credo, diligenter orator distinguere solet *auctores* salutis suae, in quibus princeps erat Lentulus, et *defensores et propugnatores*, quorum opera salus ei restituta fuit, in quibus et alii erant, et Sextius: quod si tenemus, facile est videre infra (69, 144) de Sextio non *auctorem*, sed *actorem* legendum esse: conf. 35, 75. Igitur quum universe prius appellasset *qui optime de se meriti essent*, quibus verbis utrumque genus complectitur; tum, velut in specie, ponit eos, quorum opera, quibus adiuvantibus, fuisset revocatus. Pariter Plancium appellaverat *custodem* salutis suae, in hoc quoque veritatem et verbi diligentiam servans. Ne hoc quidem negligendum est, in Madvigiana distinctione perire concinnitatem orationis Tullianae. Sicut enim prius *eorum* adiectum habet, *qui de me* cet., ita posterius similem adiectionem necessario requirit. Turbat hanc sollemnem formam interpositum illud, *iis—serviat*: quae verba mihi videntur interpolationi deberi. Neque enim

ista confirmationem superiorum continent, sed plane diversam et alienam ab hoc loco sententiam. *Vox haec serviat iis*, eius est, qui quasi veniam Sextii defendendi precatur: quod minime omnium necesse erat, nec agebatur: tum *potissimum* totam sententiam debilitat. *Ea nunc uti cogor* dixerat, quippe pertinebat hoc ad praesentem conditionem civitatis, ad impunitatem et audaciam inimicorum. Interpolavit, qui pariter, ac reliqui, illa distinguenda esse nesciebat, quae modo dixi.

Optimos Codices quod sequitur Madvigius (p. 440.) id ita laudandum existimo, ut concedat tamen illos ipsos et corruptos interdum, et interpolatos esse. Vulgata lectio in Cap. 2, 4, sic incipit: *Neque enim-dolor ullus.* Optimi quum habeant vel *namque*, vel *namqui*, efficit vir praestantissimus legendum esse *nam neque.* Rectissime sane praecipit, quid intersit inter hanc formam, et alteram illam *neque enim.* Sed neque hoc loco *nam neque* requiritur, neque Catilin. IV, 2, 3: neutro loco aut contraria referuntur, aut diversa distinguuntur; sed mera est enumeratio respondens superioribus. Fuitne in archetypo *Num qui?* quam interrogandi formam saepe negatio in altera parte sententiae excipit. Qui *ullius* legendum esse commendarunt, non attenderunt rectum casum ipsum hoc sensu poni: sic, *non ulla causa gravior*, *quam*

rei publicae: multaque alia huius generis afferri possunt, si opus est.

Quaerit Orellius in Cap. 2, 5, cur in his verbis, *in ruinis eversae atque afflictae rei publicae*, non inverso ordine dicatur *afflictae atque eversae.* Respondeo, *eversae* proprie cum *ruinis* iungi posse, *afflictae* non item. Valet in talibus quoque Zeugma.

Interpolandi levitas, multis locis iam a viris doctis deprehensa, etiam sine manifestis meliorum Codicum indiciis, sed una auctoritate consuetudinis Tullianae, rectaque singulorum locorum interpretatione duce, exstat, opinor, in his Cap. 4, 9. *Idem — venit cum exercitu Capuam; quam urbem — suspicabamur: et inde M. Aulanum — Capua praecipitem eiecit — versatum. Idemque C. Marcellum — exterminandum ex illa urbe curavit.* Vix credibile est editores tam diu tolerasse *inde — Capua eiecit:* nam adverbium hoc ipsum, *Capua*, significat. Ipsius interpolationis depravatio est in Cod. Leid., *caput praecipitem.* Tum animadvertendum omnia illa de uno Capuam adventu Sextii dici, et parem fuisse in eo laudem tum Aulani, tum Marcelli eiecti. Quapropter videtur illa per asyndeta enunciasse Cicero, ut locus sic constituendus sit: *suspicabamur: inde M. Aulanum, tr. mil. Antonii, praecipi-*

tem eiecit, — *versatum: C. Marcellum* cet. *Idem*, non dicitur, nisi in re nova ac diversa commemoranda, ut initio huius §. — Mox, quum in aliis sit *huic apud me P. Sextio* (ordine verborum non ferendo), in aliis *huic P. Sextio apud me*, rectissime suspicatur Manutius nomen proprium ad grammaticos relegandum esse, qui perpetuo fere pronomina explicanda esse putabant.

De coniectura Lambiniana, ut Cap. 4, 10, legatur *vocem officii praesentis*, pro *vicem*, non prorsus desero illam interpretationem, quam proposui vulgatae lectionis Bibl. Cr. N. V. p. 46. Quod reprehendit Madvigius, (p. 442), *recitare aliquid vicem alicuius*; tam reprehendendum est, credo, *recitare aliquid vocem alicuius*, aut *recitare aliquid memoriam alicuius*. In hac figurata oratione non esse ita construendum, non latet profecto virum praestantissimum. Tum, qualis est illa simplicissima sententia, quam in coniectura inesse dicit? Ut vox sit in ipso decreto et verbis officii praesentis (quod praestant Campani ipso decreto facto)? In quo illud primum vitiosum est, quod *officium* intelligitur Campanorum. Atqui *periculum*, et *beneficium*, et *praeteritum tempus*, cogitatione referuntur ad Sextium. Si *officium* erit Campanorum, nullum aliud intelligi potest nisi

ipsum decretum. Exibit sic haec sententia, *recito verba decreti a Campanis facti.* Imo omnes isti genitivi indicant fundamenta illius decreti; non esse illud ab ambitione aut commendatione, ut saepe fieri solebat, profectum, sed continere memoriam perfuncti periculi, praedicationem amplissimi beneficii, vicem officii praesentis, (i. e. efficacis et magni, quod Sextius tum praestiterat), testimonium praeteriti temporis (igitur nihil esse fictum in eo, aut quaesitum, aut inane.) Apparet hinc *praesens* neque ad locum, neque ad tempus referri; sed dici, ut *praesens auxilium, praesens cura*, ceteraque eius generis. Quaero nunc, quae possit fingi *vox* eius officii, quod Sextius praestitit, in illo certe decreto? Tribuitur sane *vox* multis rebus, quas loqui fingimus, ut *naturae, rei publicae, conscientiae.* Sed non est Sextius, qui loquitur, sed Campani, et loquuntur disertis verbis in decreto suo: ut non opus esset hoc, tamquam splendidum et novum, excogitare, *recito vocem officii eorum.* At Sextii illi officio respondebant Campani hoc decreto, gratias agebant et referre studebant: et hoc est illud *vicem officii praesentis*, tamquam remunerationem et repensionem. Quod numquam sic locutus est Cicero, non poterit ea consuetudo fingi.

Quum in Cap. 5, 12, ubi edebatur, *commu-*

nem Martem bellique casum, bene Madvigius (p. 443) animadvertisset, non dici, *communis Mars*, sed semper *c. m. belli:* igitur ex optimis Codd. reducendam esse lectionem, *communem Martem belli casumque;* obiicit Orellius Milon. 21, 56: *adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem.* Sed perspicuum est, extremum quoque coniungi cum *pugnarum.* Ceterum, illum copulae modum, quem Madv. commendat, minus aptum huic loco duco, malimque, — *belli atque casum.* Iudicabunt, qui talium minutiarum ignari non sunt.

Difficiliora expeditu sunt ea, quae mox sequuntur ibidem. Editur vulgo: *neque umquam Catilina, quum e pruina Apennini, atque e nivibus illis emersisset, atque, aestatem integram nactus, Italiae calles et pastorum stabula praedari coepisset, sine multo sanguine, ac sine totius Italiae vastitate miserrima concidisset.* Codd. Leid., in hoc loco lacunosi, nihil varietatis afferunt: sed quum in omnibus reliquis sit *praeclara*, per interpolationem Ursini factum inde *praedari* suspicatur Madvigius (p. 444), pro quo legendum suadet *peragrare:* Orellius novissime, tum *Galliae calles*, tum *penetrare.* Non attenderunt perperam coniungi *Italiae calles* (quos bene interpretatur Madv., locos montanos atque desertos) et *pasto-*

rum stabula. Tum, non est illa interpolatio, sed in primis proclivis mendi correctio, ut ex *praeclara* restituatur *praedari;* qualis corruptelae exempla afferre nunc non attinet. *Aestatem integram nactus* non nisi is dicitur, cui vel more vel legibus integra aestas ad agendum conceditur: veluti de Clodio, qui in praetura *annum integrum ad dilacerandam rem publicam* quaerebat: Milon. 9, 24. His occurretur, si locus sic legetur: *neque umquam Catilina, quum — emersisset, atque, aestate integra, nactus Italiae colles et pastorum stabula, praedari coepisset —.* Necessario *pruinae Apennini,* opponuntur tum *aestas integra,* tum *colles et stabula:* itaque *praedari* absolute, ut oportet, ponitur. Livius III, 8, 6: *vastavere agros Praenestinum Gabinumque: ex Gabino in Tusculanos flexere colles. Colles* et *calles* in Codd. permutari, docet varietas lectionis in illo loco; tum Interpret. ad Liv. XXXI, 42, 8. Perperam ipse *calles,* pro *colles,* legendum suasi in Scaurianae § 25: Bibl. Cr. N. III. p. 218.

Leve est, sed non contemnendum, quod ibid. § 13, Codd. Leid. afferunt, *attulit ad tribunatum P. Sextius:* quem verborum ordinem praestare recepto existimo.

Non nego in Cap. 6, 14, praeclare restitutum esse a Madvigio (p. 445 seq.) *iuventuti:* sed,

quum aptissime dicatur *iuventuti praescribere rei publ. capessendae auctoritatem disciplinamque*, friget omnino id, quod ad initium adiicitur, *memoria dignam:* cuius rei iudicium e cuiusque sensu pendet. Equidem, si hariolari licet, mallem, *monere alios et iuventuti* cet.

Quod dicitur § 15, *rei publicae naufragium exponere*, quod verbum ita ponitur infra quoque Cap. 13. fin. et 16. init. cet., in mentem revocat damnatum esse idem a Zumptio in Divin. in Caecil. 12, 39, qui in eo loco commendat *oratione expromere.* Sed tum repugnat Ciceronis mens, ea quadripartita formula proponentis, quibus omnis oratoris virtus continetur: tum *expromimus* id quod reconditum habemus, nostrumque est, non eam clientis causam, quam multo labore ac diligentia demum *consecuti sumus.*

IV.

Continuatio. (Cap. 7 — 15, 34.)

Locus sequitur in Codd. corruptissimus (Cap. 7 init.), quemque quare a Madvigio (p. 447–451). sanatum esse non credam, dicendum est. Excogitavit igitur vir praestantissimus hanc lectionem: *fuerat ille annus iam in re publica, iudices, quum in magno motu et multorum timore intentus est arcus in me unum*, cet. Sed *fuerat ille annus* dici alio sensu non posse videtur, nisi sic, ut habeatur ea laetandi materia: sic Cap. 33, 71: *abiit ille annus: respirasse homines videbantur.* Tum minus recte *illum annum* intelligit Caesare et Bibulo Coss., quo quippe ad plebem Clodius traductus fuerit: neque curare videtur, modo ante

Ciceronem dixisse, se superioris anni (i. e. Gabinii et Pisonis) rei publicae naufragium expositurum esse; itaque *illum* annum necessario de hoc intelligendum esse. Praeterea *intentum arcum* anguste interpretatur de ipsa traductione Clodii ad plebem: semel intentus arcus saepe non statim vim exserit, sed feriendi in eo tempus exspectatur idoneum. Pison. 2, 5. *tela — intenta iugulis civitatis.* Postremo *tamquam*, in illa metaphora, quocumque ordine verba ponas, desiderari nequit: quod in optimis Codd. distrahi potuisse, temere negari videtur. Non tantum mutata verborum series, sed distractio etiam ineptissima saepe a librariorum socordia proficiscitur. Quid mihi in desperato loco videatur, brevi dicam. Primum vocab. initio truncatum fuisse existimo in archetypo: restituendumque (quoniam reliquae leves corruptelae inde fluxerunt) *Attulerat ille annus, iudices, in rei publicae magno motu et multorum timore, tamquam intentum arcum in me unum.* Nihil aliud nisi ipse Clodii tribunatus hac metaphora indicatur: comparatumque hoc fuerat *traductione* eius *ad plebem.* Reliqua, quae statim subiiciuntur, memorantur ad confirmandum illum multorum timorem: nam a Cn. Pompeio devinctum quidem tum fuisse, sed nihil ista curavisse Clodium; contra, subito a Caesare

ad plebem traductum, tribunatum nactum esse, inque eo, adiuvantibus consulibus, perdidisse rem publicam. Hunc igitur arcum intentum novus annus *attulerat:* quaeque inde tela in ipsum et in rem publicam emissa sint, dein explicat. Madvigius, praeterquam quod *in magno motu* sine genitivo *rei publicae* reliquit, neque hoc agnovisse videtur, motum illum et timorem non fuisse ante Clodii traductionem ad plebem, sed tum, quum tribunus factus esset: id quod intelligitur e Cap. 8, 20.

Initium § 17 liberandum videtur additamento otioso. *Sed fuit profecto quaedam illa rei publicae fortuna fatalis.* Codd. Leid. omisso *quaedam*, habent *in illa:* postremum Bernenses quoque apud Madvigium p. 438, sed servato *quaedam.* Ut *in* interpolatum est, ita *quaedam* non esse Ciceronis affirmo. Mirifice languidam reddit sententiam: si augendi sensu accipiendum, exspectabas post *fatalis.* Totum hoc opponitur, quamvis forma diversa, superioribus, *felix fuit nullis suis nervis:* ideoque interposita quae sunt, parenthesis indicio notanda erant.

Locum de Gabinio, Cap. 8, 18, nondum perpurgatum, eleganter et acute restituit Ravius meus (in Variarum Lectionum Libro ad Ciceronis Orationes Pertinente, L. B. 1834. p. 38. sqq.) — *inflatus, a quibus compulsus olim — perfugerat,*

contemnebat Equit. Ro. cet.: quae ratio eo in primis commendatur, quod in vulgata distinctione descriptio illa perperam plusquamperfecto finiebatur, quae una continuatione cuncta potius comprehendere debebat.

Exhauserunt ingenia Intpp. in his verbis corrigendis (Cap. 8, 19). Sed locus totus apponendus est. *Nam quid ego de supercilio dicam? quod tum hominibus non supercilium, sed pignus rei publicae videbatur. Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio res publica, tamquam Atlante coelum, niti videretur.* Hanc Hervagianam lectionem secutus est Orellius in Edit. maiore. Codicum monstra commemorare nil attinet. De Madvigii coniectura p. 449-452, (— *supercilio annus ille niti tamquam vade videretur*) nihil amplius dico, nisi ingeniosissimam esse. Sed priora vellem paullo attentius consideravissent. Veluti haec ipsa *vadis* similitudo putida in primis est, et inanis loquacitatis indicium, postquam supercilium illud iam *pignus rei publicae* dictum est. Ubi confirmandi causa variare iam dicta et ornare vult Cicero, solet imaginum varietate uti. *Gravitas in oculo* duplici de causa vitiosum est. Primum non erat *gravitas* tribuenda Pisoni, sed, ut modo, *truculentus et terribilis adspectus.* Tum, quidquid ei tribui

rectum existimetur, non erit illud *in oculo*, sed *in oculis*, ut semper plurale ponitur, ubi cum vultus, et mentis significatione coniungitur. Pison. 1, 1: *non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus* —. Neque singularem defendi posse puto his verbis, Pison. 4, 8: *hominem impurum, atque non modo facie, sed etiam oculo tuo dignissimum*: nam, quum de impuritate sermo sit, corrigendum videtur *ore tuo*, quod erat dentium putridorum: conf. Sext. 52, 111, ex Pantagathi emendatione: Verr. III, 9, 23: *non solum vita, sed etiam corpore atque ore — vorago — turpitudinum omnium.* Praeterea, quoquo modo Codicum manifesta vitia emendes, inepta similitudo erit supercilii, cui *niti* quid dicatur. Quis ignorat elegantissimum scriptorem in talibus proprietatem servare solere? Loco utitur illa figura in Milon. 7, 19: *cuius in vita nitebatur salus civitatis.* Atqui nullius rei fulcrum est supercilium; sed longe aliter describitur in II de Nat. Deor. 57. Tenemus iam, credo, duobus his criminibus, impropriae dictionis, et stultae similitudinis, ineptum interpolatorem. Sed ne hoc quidem negligendum est. Tota haec Pisonis descriptio brevitatis studium habet; cuius indicia sunt formulae, *nam quid ego — di-*

cam, et mox, *erat denique* —: adeo ut, quum de supercilio aptissima comparatione iam explicuisset, permolestum accidat hoc similis sententiae additamentum. Neque hoc intellexit interpolator, ubi *gravitatem in oculo* praedicavisset, dicendum fuisse *oculo*, non *supercilio*, *niti*, quidquid ei videretur. Quis umquam ferret, si dicatur, *tanta pedum erat velocitas*, *ut vultu deum referret?* Codices Leid. prioribus servatis, omittunt illa *ut illo* — *videretur:* quod non ex sollemni talium librorum mutilatione ortum esse, nemo non intelliget. Equidem totum locum, inde a *tanta*, reddendum existimo rhetori inepto, qui haec de suo addidit: non utitur talibus ineptiis Cicero.

Servanda est Codd. lectio fere constans, Cap. 9, 21: *erat enim hominum opinione*, *nobilitate ipsa*, — *commendatus:* plerique maluerunt *opinioni*. Primum non recte interpretatur Ernestus, *hominum opinioni* dici pro *hominibus*. *Opinionem* ipsam intelligit Cicero, eamque mox de industria describit, *omnes boni* — *mortuorum*. Tum perperam Garatonius confert Offic. II, 13, 12: nam *ad opinionem commendari* ibi est, ita commendari, ut opinio innocentiae exsistat: de qua vi praepositionis alibi dixi. Nemini praeterea commendatur quid, nisi qui efficere possit aliquid: ut, si v. c. dicitur, *erat populo Romano commenda-*

tus: hic enim suffragiis consulem faciebat. Sed, unde illa commendatio oriretur, in ablativo ponitur; commendari admiratione virtutis, innocentiae fama, item opinione hominum, quam nullae praecipuae dotes animi aut ingenii, sed sola nobilitas generis conciliavisset. Ita paullo post, *falsa opinione — commendatus.* Plura dici poterant, quibus alterius locutionis vitium indicaretur: sed satis hoc esse opinor.

Cap. 10, 24: *et quod ita domus ipsa fumabat, ut multa eius sermonis indicia redolerent:* bene hoc revocatum est, prae altero *redoleret:* sed diligenter interpretandum est. Nam *ut* comparationis est: vultque hoc, *quemadmodum sermonis indicia redolere sentiebam:* in qua breviloquentia Coniunctivus ponitur. At, ubi haec ratio deest, Indicativum requiri puto, vereque, in hoc certe, vidisse Ernestum in Verr. I, 39, 99, contra quam Zumptio videbatur, cuius hoc quoque pauci, credo, probabunt, quum dicit »non multum hunc Coniunctivum a sensu Indicativi differre." Igitur ne altero quidem loco, ibid. Cap. 44, init., Coniunctivus *videatur* probandus videtur. — Pison. 1, 3: *quum non recusares, quin ii, a quibus dicebare consul, te — putarent.*

Distinguendi vitium per omnes editiones propagatum est, in his verbis (Cap. 11, 25.): *flagi-*

tabatur ab his (Gabinio et Pisone) — *ut meam causam susciperent, agerent; aliquid denique ad senatum referrent.* Sed, quod hinc exoritur, flagitavisse senatum ab istis, ut *agerent causam Ciceronis*, propterea probari non potest, quod *agere causam* proprium est contentionis, et disceptationis iam propositae; quemadmodum Sextium appellabat *actorem causae suae* Cicero. Tum *aliquid referre ad senatum* inepte, tamquam in incerta re, dicitur: manifestum enim est, quid referri isti vellent. Melius credo distinguetur, — *agerent aliquid; denique ad senatum referrent.*

In eodem Capite § 26, haud paullo praestat lectio Cod. Voss. *nam quid dicam patrimonii:* vulgatur, *nam quid ego patrimonii dicam.* Sed ibidem remansit in omnibus libris vocula, quam certo credo interpolationi deberi: — *patrimonii, quod ille, quum quasi quaestum faceret, amisit.* Ambiguitas est in *quaestum facere:* eamque orationis in hoc loco virtutem tollit plane interpolator, qui *quasi* de suo addidit. Sed non reticebo praecipuas huius § sententias loco suo turbatas mihi videri. Egerat modo de privatis bonorum senatorumque querelis, qui ut referrent ad senatum de Cicerone a Consulibus flagitabant. Tum § 26, subiicitur de multitudine subito in Capitolium conveniente, privatoque consilio vestem mu-

tante. Sequitur mentio senatus in aede Concordiae habiti, in quo preces et lacrimas amplissimi ordinis repudiavit Gabinius. Porro, de equitibus vestem mutantibus, et ab eodem Gabinio repudiatis. Rursus de senatu, et quid Ninnius retulerit. Nemo non admonitus agnoscet, opinor, iustum sententiarum et narrationis ordinem perturbatum esse. Verissime dixit Madvigius p. 453, *vos, inquam* recte legi, neque opus esse duplicato pronomine, quippe sententia, ante universe significata, nunc apertius et asseverantius ponatur. Sed quid quaeso ad equites Romanos preces senatus repudiatae? Non certe est eadem sententia. Aptius, credo, omnia sic constituentur: *hic subito quum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota urbe cunctaque Italia convenisset, vestem mutandam omnes, meque iam omni ratione privato consilio, (quoniam publicis ducibus res publica careret) defendendum putarunt. Vos, inquam, equites Romani, et omnes boni, veste mutata, pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi proiecistis: cum vestris precibus a latrone illo repudiati estis. Erat eodem tempore senatus in aede Concordiae, quod ipsum templum repraesentabat memoriam consulatus mei, quum flens universus ordo cincinnatum consulem orabat. Nam alter — quaestum faceret, amisit? Tum vir in-*

credibili fide cet. Hoc ordine revocato, concidet illud de equitibus in senatum intromissis, aliaeque difficultates, quas partim viderat Garatonius, partim elevare studet Madvigius: simulque explicatur interpolatio Naugeriana. In vulgato sententiarum ordine perspicuum est, quare *tum*, quod supplendum est, excidere debuerit. Offenderat quoque Ravius in his, sed alio modo restituere turbata conatur: Vid. Lib. cit. p. 42 seqq. Rara quamvis, tamen non sine animadversione praetereunda sunt indicia generis dicendi inepte festivi in Cicerone. Quis enim probabit illud κομψὸν, *pro meo capite ad pedes lenonis?*

Quum libri tantum non omnes Cap. 30, 29 haberent *sine ullo iudicio, aut* (alii *atque*) *edicto ex patria consul eiecerit*, non ferens asyndeton, ex Garatonii suspicione, qui molestam particulam delebat, correxi olim, *ut edicto:* conf. Bibl. Cr. N. V. 1 p. 40: cuius opinionis ne nunc quidem me poenitet. Nam quod Madvigius disputat p. 455 sq., coniunctionis iterandae nullam esse causam, eaque coacervationem verborum interrumpi; tam erat causa iterandae, quam reliquorum *ex patria eiecerit*, praecedentibus *expulerit ex urbe, relegarit:* ipsaque coacervatio interrupta erat iam interpositis *non amicissimum — sed civem Romanum.* Sed nulla est coacervatio, verum eiusmodi

ἀναφορά, per quam, gravissimum dictu quod est, postremo loco, tamquam in integra sententia, efficacissimis verbis enunciatur, ut apparet ex addito *consul.* Et in hac integritate clausulae finalis necessaria mihi adeo videtur istius particulae iteratio. Exemplum est Verr. V, 6, 13. fin.

Multis locis tempora verborum et modi in Codd. permutantur; unde subinde non satis diligenter e pluribus optarunt viri docti. Igitur recte Madvigius p. 456, retinet Lambini lectionem Cap. 14, 32, *etiamne edicere audebas,* quam praebet quoque Cód. Voss., prae vulg. *audeas.* Nimirum non oportebat ista Orellium referre ad praesens tempus in illis quae praecedunt, *parumne est.* Pertinet ad iudicium de temporum consecutione attendere, quid primarium locum in priori sententiae parte teneat, quae, contra, adiiciantur, ut locutioni et toti orationi non nisi modum quemdam addant. Verbi causa in his ipsis, *parumne est — quod tantum homines fefellisti, ut negligeres*, primaria sententia est, *negligebas auctoritatem senatus*, quae formam accipit ex illis, *tantum homines fefellisti ut:* totumque hoc regit formula praemissa, *parumne est,* cui respondet *etiamne.* Talibus neglectis pluribus locis peccant, qui hodie de syntaxi praecipiunt.

Nondum sanatus est locus Cap. 14, 33: *Iidem*

consules — pacto iam foedere provinciarum, producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia ac peste patriae, maximo cum gemitu vestro, illa omnia, quae tum contra me, contraque rem publicam voce ac sententia sua comprobaverunt. Post *rem publicam*, alii alio supplemento usi sunt: nec videtur quisquam suspicatus esse, vitium latere posse in illo *tum*, cui locus nullus erat, tempore iam satis diserte indicato in superioribus. Hariolari si licet in omnium librorum corruptela, videri potest pro eo legendum esse *evomuerat.*

Rursus interpolatio indicanda est, orta ex ignoratione structurae, in his Cap. 15, 34: *servorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, quum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur.* Delendum est postremum vocabulum, quod ipsa etiam veritas rerum repudiat. Nempe praepos. *ad* indicat consilium: sensusque est, quo facilius sic per istos vim facerent: non simul excitabantur. Idem ignorabatur infra Cap. 44, 95, *servos ad caedem idoneos emit:* nam *idoneos* neque omnino in hac re scripsisset Cicero: et *emere servos ad caedem*, est, emere eo consilio, ut in caede facienda eorum opera utamur. Sic Cap. 19, 42, *auctores ad perniciem meam.*

V.

Continuatio (Cap. 15, 35—23).

Insignis huius orationis pars consumitur in deliberatione explicanda consiliorum, quae Ciceronem, ut cederet, moverunt. Quae quibus locis nondum perpurgata vitiis sit Codicum, nunc videamus.

Cap. 15, 35 breviter describit, quae ante fusius narraverat, quae tum esset civitatis conditio. Quum primum facta esset consulum mentio, quos hostes apertos senatus haberet, addit, (*quum*) *equester ordo reus a consulibus citaretur*; tum, aliis interpositis, *eaque non silentio consulum dissimularentur, sed et voce et sententia comprobaren-*

tur. Extrema haec satis aperte indicant, quae proxime dicerentur non consulibus tribui, sed Clodio: sed ad eundem referri puto hoc oportere, de equestri ordine citato. Consulum certe non fuit hoc, neque consulis, (quoniam duo Codd. habent *a consule*,) sed Clodii, de quo supra Cap. 12, 27, *qui adesse nobilissimos adolescentes, honestissimos equites Romanos, deprecatores salutis meae iusserit*. Quare, quum Cod. Voss. habeat *a populo citaretur*, legendum erit *ad populum*. Et sic ille ipse locus, quem modo apposui, accipiendus est: *adesse iussit eos*, nempe in comitiis legis Clodiae: quemadmodum infra Cap. 35, 76, de Quinto fratre, *quum ad fratris salutem a populo Romano deprecandam venisset:* quod Orellius non agnovit, Manutius non prorsus assecutus est. — In clausula huius loci edendum est, ut habet Leid. *Sed voce et sententia comprob.*, deleto altero loco particula.

In iis quae de Metello dicuntur, non satisfacit, ut vere dicam, Madvigii p. 458 levis correctio: Cap. 16, 37: *ad suam enim magis quamdam ille gloriam, quam ad perspicuam salutem rei publicae sumserat*, ut Codd. habent: pro quo postremo vocabulo alii *spectarat*, Madvigius *tum spectarat*, reponendum censet. Sed, quid *spectaverit* Metellus, suo loco et diserte dein dicitur:

denique videbatur ea conditione cet.: nunc de ipsa Metelli, in illo negotio, conditione dicendum erat, credo, *supererat*, i. e. solus extra omnium reliquorum consensionem erat: quippe eius rei *unus auctor* erat Metellus, id quod mox de se negat Cicero. Alio certe modo corrigendum esse, ipsa temporum ratio suadet. Si sequeretur *quum — nolebat*, ferri posset *spectaret*, aut aliud plusquamperf.: sed, *quum noluerat* praecedente, necessario id, quod relinquitur, in Imperf. dicendum est. Quod in Planciana 35, 87. init. de se profitetur Cicero: *aderat mecum senatus*, cet., id in hac Metelli causa diversum erat, ipseque *supererat*. Eodem modo intelligendum esse puto *superesse rei publicae*, Pollionis, in Epp. ad Div. X, 33, fin., i. e. segregare me a re publica, et solus aliud consilium sequi. Fieri enim non potest, ut, quam Gellius I, 22, huius locutionis interpretationem profert, scriptoris animo conveniat.

Paullo melior ordo verborum exhibetur in Voss., Cap. 16,38, *non modo ad meam singularem gloriam, sed ad communem salutem omnium civium. Singularis* eo loco ponitur, quo in talibus genitivus, *mea unius gloria.*

Defendenda est lectionis integritas Cap. 17, 40: *duo, qui privati tum essent, et praeesse, et parare, si vellent, exercitum posse:* in quibus,

quum Manutius verbum *praeesse* perperam interpretaretur, magistratus habere; alii corrigendum censuerunt, vel *praesto esse*, vel, ut Orellius, *rei publicae praeesse:* quorum alterum languidum, alterum nimium multo est. Sed *praeesse* intelligitur, *exercitui*. Sic Planc. 35, 86 plurali numero de his iisdem; *qui exercitibus, qui armis, qui copiis plurimum poterant*.

Insigne interpolationis exemplum deprehendisse mihi videor Cap. 18, 40. Loquitur de Caesare, Crasso et Pompeio, quare tacerent, nec Clodio resisterent. *Illi autem aliquo tum timore perterriti, quod acta illa atque omnes res anni superioris labefactari a praetoribus, infirmari a senatu atque a principibus civitatis putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant, suaque sibi propiora pericula esse, quam mea, loquebantur.* Primum *alio*, non *aliquo*, legendum est, ut modo Cap. 16, init. *alii metus, aliae curae:* et Cap. 18 init. *ob alias causas* (ut legendum est, adstipulantibus quoque Codd. Leid.) Sed utrumvis legas, intempestiva est illius timoris diserta explicatio, quae subiicitur. Habet illa quamdam reprehensionem Caesaris, quae illis quidem temporibus aliena erat ab animo Ciceronis: itaque in hac ipsa oratione non nisi obiter, ipsa Vatinii castigatione iubente, earum rerum mentio fit,

Cap. 64 fin. Studiosissimum Caesaris fuisse tum Ciceronem, multis probatur indiciis: conf. Planc. 39, 93. Vatin. 6, 15. Necessario de actis Caesaris loquitur Prov. Cons. 17-19: diserte quoque Pison. 32, 79: sed ubique ut de re notissima; et constitisse haec omnibus, ipsa arguit historia; vid. Sueton. Caesar. 23. Hoc loco tam perspicue commemorare hoc noluisse Ciceronem, conficio etiam e plurali in his, *sibi propiora — loquebantur.* Et quid est illud *putabant?* in re praesertim, de qua nemo dubitabat. Neque, etiamsi totum illud memorari oportuisset, sic dixisset, *labefactari a praetoribus, infirmari a senatu.* Tum vitio non caret hoc, quod *a senatu et a principibus civitatis* fieri hoc dicitur. Nulli tum erant *principes civitatis,* praeter ipsos illos tres: ideoque appellat, *eos qui plurimum possent,* Cap. 19, init.: neque *senatus et principes* in unum coniunguntur, (quod defendit Madvigius p. 458 not.) nisi in disputatione de forma civitatis: distinguuntur in Tog. Cand. p. 524 sq. Orell. Omitto *acta illa,* quum nihil in praecedentibus dictum erat, quo pronomen illud referri possit. Haec me commoverunt, ut illa verba, *quod acta illa — putabant,* annotatori deberi existimarem.

Qui sequitur locus, ibid. § 41, *quem virum* (Pompeium), *studiosum mei, cupidissimum rei*

publicae conservandae, *domi meae certi homines*, *ad eam rem compositi*, *monuerunt ut esset cautior*: liberatus quidem est, auctoribus Ernesto et Garatonio, inepto additamento *domi meae:* sed tollendum erat non minus ineptum interpretamentum, *ad eam rem compositi*, quo scilicet explicaretur illud *certi*. Monitores isti neque componebantur, neque subornabantur: sponte sua faciebant.

In Gulielmi coniectura, Cap. 19, 43, quam uberius defendit Madvigius p. 458, est quod requiram. *Vicissent improbos boni*, — *depelli: quid deinde?* (hac interpunctione opus est, quoniam illa protasin continent, his postremis inchoatur apodosis eiusdem sententiae) *quis reliqua praestaret? cui denique erat dubium?* Nimirum nulla poterat esse, e superioribus, reliquorum, aut reliquiarum suspicio: neque hoc quaerit Cicero, quis illa praestaret, tolleret; sed, victo etiam et interfecto Clodio, reliqua alia futura fuisse. Scripsisse enim suspicor, *quum reliqua instarent*, (quod postremum latere arbitror in duorum Codd. lectione corrupta *irestaret*,) sine interrogandi signo. Ita, de eo quod post timendum manet, Verr. III, 13, 34, *reliquus metus iudicii*. *Reliqua* illa mox disertius explicat, esse consules. Hoc tam apertum esse arbitror, ut neminem esse putem, qui *reliqua* alio modo interpretari velit.

De loco corrupto Cap. 19, 44, quem fuse tractat Madvigius p. 459 sqq., breviter dicam, quid mihi nunc videatur, oblitus eorum, quae olim disputavi. Dixerat modo, si vicisset Clodium, reliquos sibi futuros fuisse consules, quibuscum dimicandum fuisset. Sed illam duplicem victoriam (*bis vincere*) nunc nullo pretio sibi optandum fuisse explicat, ut mihi videtur, his verbis: *Ego vero, si pugnandum fuisset, ac non accipienda plaga mihi, sanabilis illa, non mortifera, quam imposuisset, semel perire tamen—*. Significat hunc rerum statum, ut optare inter dimicandi necessitatem, et voluntarium exsilium ei non licuerit: nam est haec *plaga*, quam Clodiana factio, adiuvantibus consulibus, imposuerant. Propterea *pereundum* mutandum fuit in *pugnandum* (quo verbo utitur quoque Planc. 36, 88). Opponuntur sibi invicem *pugnare*, (non *perire*), et *cedere:* et postremum illud appellat *accipere plagam*, i. e. acquiescere in ea necessitate exeundi: eamque de industria appellat *sanabilem nec mortiferam*, quo defenderet adeo discessum suum. In vulgata lectione quum initio disputationis recte sensisset Madvigius, absurde dici *si pereundum fuisset, tamen perire maluissem*, mirum profecto hoc retinuisse eum in ea, quam effingit, loci constitutione. Tum numquam cuiquam persuadebit plagam illam, i. e. Ci-

ceronis exsilium, Clodio *mortiferam* fuisse: immemorem esse oportet rerum omnium quae post Ciceronis reditum acciderunt, in primis ipsius introitus huius Sextianae. De subiecto verbi *imposuisset* dubitari non poterit, quum antecesserit *amentissimus tribunus pl.* Et modus ipse tempusque verbi defenduntur, quum cogitamus, si restitisset Cicero, eo ipso plagam illam non imponi sibi passurum fuisse. Tota haec deliberationis pars demonstrat inutilem futuram fuisse victoriam. Mox pergit de altero eventu certaminis, *si victus fuisset.* Utroque absolvitur, non fuisse resistendum, sed cedendum. Otium perdam, si demonstrare coner, quo modo una corruptela et levis, reliqua menda pepererit.. Aliam interpretandi et corrigendi viam ingreditur Ravius Lib. cit. p.15 sq.

Cap. 20, 45. libri Leid. melius, quam editi, *vos penates dii, patriique.*— Iidem mox, *multis ex locis.* — Sed in fine huius §, recte quidem, ex Manutii observatione ad Cap. 50 fin., *non modo* explicatur ut *non dico:* sed fatendum est in hac quidem progressione a maiori ad minus, dicendum esse, *sed in vitae discrimen*, quod melius efficaciusque opponitur *certae morti*, quam *magnum vitae discrimen:* fortasse *magnum* adeo in *minimum* erit mutandum. *Minime* et *maxime* aliquando permutata esse, docebit Zumptius ad Div.

in Caecil. 3, 10. Infra idem dicitur alio modo: *depugnarem potius cum summo non dico exitio, sed periculo certe vestro.* In eiusdem loci clausula, primum bene sensit Madvigius p. 144 not. et p. 378 not., in recta constructione dicendum fuisse, *quam id, quod omnibus impendebat, unus pro omnibus susciperem.* Habet tamen quo se defendat librorum lectio, *quam non id*, quod dictum videtur pro *ac non id.* Pro *impendebat* Cod. Leid. *instaret:* certe Coniunctivus praestat, quippe valet pro *instare videbam:* sic supra Cap. 11, 26, *quoniam publicis ducibus res publica careret*, i. e. rem publ. carere videbat.

Ad alteram obiectionem, qua commendari fingit certamen cum Clodio (Cap. 21, 47) *At victi essent improbi;* sic respondet orator, secundum omnes libros: *At cives, at ab eo privato, qui sine armis rem publicam etiam consul servarat.* Non fugit Lambinum abesse, quod opponeretur illis, *sine armis*, quemadmodum *privato* opponeretur *consul.* Hinc edidit, *at ab eo armato privato:* ignoramus qua auctoritate. Sed tum *armatus* non recte dicitur, nisi de eo, qui dedita opera, et praeparato consilio, arma comparavit; tum ingrata est illorum adiectivorum coniunctio. Corrige ab initio, *at vi, at ab eo priv.* Nihil huc pertinent *cives:* hos enim consul quoque superavit. — Sequitur:

sin victi essent boni, quid superesset? In quo perperam, ut mihi videtur, Lambinus commendat *qui superessent.* Servos superfuturos fuisse ut diceret, i. e. omnem illam faecem urbis, quae Clodianam factionem adiuvabat, non indigebat ea interrogandi forma quae inexspectatum quoddam responsum promittit. Bene igitur Orellius vulgatam interpretatur, *quid nos maneret?* ad quod malum reservaremur? Ita *superare* dicitur, de quo vid. Cortius ad Epp. ad Div. VIII, 5. fin. Idem Orellius, in iis quae statim subiiciuntur: *non ad servos videtis rem venturam fuisse*, servavit hoc, prae altera lectione *rem publicam.* Nimis indefinitum alterum est, inquit Madvigius p. 462. Sed primum, tum aliis locis sic dicitur *res*, ut ad Att. IV, 16, *res fluit ad interregnum:* tum hoc loco minime dubium esse poterat quid intelligeretur. Dein, nunquam, credo, dixisset Cicero, *res publica venit ad servos*, in ea rerum conditione, in qua sublata omnis foret res publica.

Verborum ordo iterum leviter mutandus e Codd. Leid., in his, quae paulo post sequuntur: *non haec denique tum a me*, pro *a me tum.* — Inferius etiam, *quum esset omnibus mors definita*, pro *defin. mors.* — Mox, eadem auctoritate, collocandum, *hanc inter sapientissimos homines contentionem:* et in altera parte, *alii autem tum*

maxime, delendum *autem*. Tum leve est, nec tamen negligendum, eodem Cap. § 48, quum virginum illarum, Erechthei filiarum, nobile facinus commemorasset, in oppositione distinguendum esse, *ego vir, consularis*, non *vir consularis*. — Sed gravius aliquanto hoc est, quod omnes servarunt Codd. lectionem in his, Cap. 22, 49: *hoc, meo quidem animo, summi in patriam amoris mei signum esse debet certissimum.* Quid est illud, *meo quidem animo?* formula dubitantis, quae alienissima est ab hoc loco. Corrige: *hoc mei animi, summique in patriam amoris signum esse d. c.*

Optima Pantagathi correctio non bene explicatur a viris doctis in his, Cap. 22, 50: *atque ille* (Marius) *vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem, et ad rei publicae fatum reservavit.* Nam recte videtur reditum illum Marii, coniunctum cum bonorum caedibus, et proscriptione, *fatum rei publicae* appellare. Vitam servavit igitur Marius ad rei p. fatum: Cicero contra *rei publicae periculo vivebat*, i. e. vita eius servata continebat salutem rei publicae.

VI.

Continuatio. (Cap. 24—44.)

ALIQUANTO magis decere videtur oratorem, ut dicat (Cap. 24, 53) *quum — furori hominis, sceleri, perfidiae, telis iniuriisque cessissem*, quam *minisque cessissem:* confirmantibus illam lectionem duobus Codd. Leid. Suo loco *minae* appellantur Cap. 29, 63. — Paullo post, meliori ordine, altero Cod. auctore legendum, *tam gravem, tam horribilem.*

Madvigium miror, ceteroquin acutissimum existimatorem Tullianae consuetudinis, non vidisse aliud quid requiri, in eo loco (Cap. 24, 54. init.) quem tractat p. 463 sq., quam quod ipse excogitavit. *Hac tanta perturbatione civitatis, ne*

noctem quidem consules inter meum casum et suam praedam interesse passi sunt. Sic edidit Orellius: Codices fere interpolati sunt. Quum *casum* semel in *suum* corruptum esset, requisiverunt *discrimen*, et *suam* scripserunt. Igitur Madvigius legit, *inter meum exitum et praedam*, intelligitque Ciceronis praedam, de Cicerone captam. Non concinna oratio; in qua tamen necessario oppositio requiritur. Legendum est, *inter meum casum, et rei publicae praedam:* postremi vocabuli initium prioris compendium absorpsit. Ducere eo poterant superiora § 53, *mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Pisoni provincia rogata est:* e quibus tamen putidum additamentem, *Gabinio — provincia*, tollendum censeo: satis hoc cognitum erat audientibus, neque alio modo loquitur supra, Cap. 10, 25. Pariter hoc loco opponuntur Cicero, et res publica: et *praedam rei publicae* intelligendam esse, apertissime, hanc ipsam oppositionem vindicantia, ostendunt sequentia; *statim, me perculso, ad meum sanguinem hauriendum, et, spirante etiam re publica, ad eius spolia detrahenda advolaverunt.* Iam non amplius utetur Zumptius exemplo pravae lectionis, *eorum praedam*, ad Verr. I, 34, 86, quae ne defendi quidem per se poterat. Nam, ubi, pro pronom. reflexivo,

is ponitur, fit illud quum alius subiecti ratio haberi potest: quod in hanc enunciationem minime omnium cadit. Cuncta exempla ad hanc normam redigi poterunt.

Saepe, fateor, interpolationes mihi indicandae sunt, quae multos latuisse videntur; sed certissima haec est, quam deprehendisse mihi videor initio Cap. 25. *Sed, ut a mea causa iam recedam, reliquas illius anni pestes recordamini: sic enim facillime perspicietis, quantam vim omnium remediorum a magistratibus proximis res publica desiderarit: legum multitudinem, quum earum, quae latae sunt, tum vero, quae promulgatae fuerunt.* Extrema illa, inde a *legum mult.*, nihil aliud continent nisi Scholion, ad illa verba *nam latae quidem sunt.* Hinc illud, quod Codices occupavit, *declarat*, quo absorptum fuit *desiderarit:* estque solemne initium Scholiorum, velut *significat*, *demonstrat*, *ostendit.* Sed, ipsa huius Scholii verba si spectamus, nescio quo pacto *legum multitudinem* primum a verbo *recordamini* suspendeant: tum vehementer dubito, an *multitudo*, in legibus, recte dicatur. Quid vero illud est, quod *latae* leges à *promulgatis* distinguuntur? Frustra expedire studet Manutius. Nihil certe ipse dein distinguit Cicero: et Cap. 30, 66, non a *latis*, sed ab aliis multo distinguit *pro-*

mulgata. Quid porro hoc, quod *latae sunt*, et *promulgatae fuerunt*, dicitur? Si quod inter utrumque genus interesset, alterum certe non poterat ad *pestes* referri, quarum *remedia* essent desideranda. Hoc inutili panno abiecto, continuat Cicero: — *desiderarit. Nam latae quidem sunt*, scilicet, illae pestes. Frustra ista corrigere conatur Ravius p. 191, sq.

Locus, qui lacunosus habetur, in iis, quae paullo post sequuntur, interpolatione iterum laborat, quod satis indicant Codicum discrepantiae. Legendum est, assumta Madvigii in principio correctione p. 464, e Codd., simulque levi mutatione adhibita; *et uni helluoni bis de eadem re deliberanti potestas esset, rogata lege, provinciae commutandae.* Vitiosum *deliberandi* effecit, ut sequentia interpolari necesse esset.

Cap. 26, 56, *mitto eam legem, quae omnia iura religionum, auspiciorum, potestatum, omnes leges, quae — delevit.* Istud *omnia iura potestatum,* non poterat sane alio referri, nisi ad intercessionem tribunorum plebis: sed ita multo maius est, quod dicit, quam quod cogitat: neque ita *potestates* nude, pro magistratibus, appellare solet Cicero. Corrigendum, *auspiciorum potestatem.* Supra Cap. 15. init. *auspicia ne valerent.* Infra certe, Cap. 46 init. *potestates magistratuum*

dicitur, post *religiones*, *auspicia:* et ita III. Legg. 20, 48.

Frustra operam consumi suspicor in emendando initio § 59, Cap. 27. Confert Cicero inauditas iniurias Ptolemaeo illatas, cum iis conditionibus, quae et olim Antiocho Magno superato, et victo Tigrani nuper per Pompeium concessae fuerant: *nec minus et sibi* (Pompeius), *et huic imperio gloriosum putavit, constitutum a se regem, quam constrictum videri.* Sequuntur inexplicabilia haec in Codd.: *tulit gessit qui et ipse hostis fuit populi Romani* cet. Pro duobus prioribus vocabulis, e Memmii, ut videtur, coniectura, editum, *Tigranes igitur.* Sed tutius erit intelligere plura in lacuna periisse, quae olim in Codd. verba illa *tulit, gessit* separaverit, et in qua explenda alii ingenium exerceant.

Neque assentior viris doctis, Cap. 29, 63, ubi de Catonis deliberatione in causa regis Ptolemaei agitur: *atque etiam hoc videbat — ; quod ex malis boni posset in rem publicam pervenire, id utilius esse per se conservari, quam per alios:* in huius igitur sententiae extrema parte alium infinitivum requiri, qui opponatur illi *conservari.* Nihil aliud cogitabat Cato, nisi, se posse bono rei publicae ab urbe abesse, alios non item; ipse si cederet, pertinere hoc ad rem publicam servandam, ideoque utilius esse.

Non improbo Madvigii p. 466, levem correctionem, Cap. 30, 66, ut legatur, una interrogatione, *Quae vero promulgata illo anno fuerint, quae —, quid dicam?* Sed non erat distributio illa commemoranda e Cap. 25, 55; de quo loco supra sententiam dixi. Tum, quum aliquanto diutius commoratus esset in perstringenda lege de Ptolemaeo Cypri rege, nunc autem ad exitum festinet, aequum est ut legamus, *quae porro promulgata* —. Non est hic locus oppositioni, sed continuatur idem argumentum quam brevissime.

Non fuerat negligenda lectio nonnullorum Codd., quibuscum Leidenses conspirant, Cap. 31, init. *Hic aliquando, serius quam ipse vellet*—, pro vulgato *aliquanto serius*, quod putidum et puerile est. *Aliquando* est tandem, diciturque in sperato eventu. — Tum immerito spreta est haec lectio, ibid., de Pompeio, *quam* (rem publ.) *ipse non solum consiliis, sed etiam sanguine suo saepe defendisset:* nam *servasset*, quod in vulgatis retinetur, nimium est in Pompeio, nec nisi de se, aut de Mario, in his quidem orationibus, usurpare solet orator.

In ipsa lectione Cap. 32, 69, post accuratam Madvigii disputationem ibid., qua locum emendavit, nihil est quod animadvertamus: sed pertinet ad interpretationem, rite intelligere, ita hoc ca-

put a Cicerone institui, ut tribunorum de se relationem, Lentulique sententiam commemorare properet. Hinc intelligitur longiorem protasin (*quae quum res* —) denuo instaurari his verbis, *quum haec non possent* cet.: et ne absolvi quidem apodosin verbis *initur consilium — tribunatu*; sed continuari verbis, *de meo reditu octo tribuni promulgarunt*, quae media tantum distinctione, non maxima, erant a superioribus segreganda: porro, in hoc ipso quoque quum diutius haesisset, instaurari apodosin § 70, verbis, *hoc igitur anno* cet. Sed illud, quod priori loco de octo tribunis dicitur, eos *promulgasse* de Ciceronis reditu, vitiosum esse non dubito affirmare. Nusquam hoc memoratur, neque credibile est; quumque idem, quod ita praecepisset, dicere in sequentibus Ciceronem intelligendum sit, ibique sint haec, *tribunis plebis octo referentibus*; corrigendum necessario esset, *de meo reditu octo tribuni retulerunt*, nisi tota illa particula sex verborum supposita esset. Primum enim *promulgandi* verbum praeter verum ponitur. Tum hiantem reddit reliquorum nexum ipsamque apodosin. Fuit fortasse, qui necessario haec praemitti oportere putaret sequentibus, in quibus de numero tum universo amicorum, tum tribunorum, qui Ciceronis causam tuerentur, dicitur. Sed multo magis respuunt sequentia in-

eptum illud additamentum. *Ex quo*, non ad illum octonarium tribunorum numerum, sed ad senatores; qui a consulibus, ut de Cicerone referrent, flagitabant, et ad Pompeii animum, refertur; et de tribunorum numero nunc demum apte suoque loco subiicitur, *nam ex novem tribunis* cet. Postremo, illud de relatione, designatis novis consulibus memorari poterat, non ante.

Simile additamentum Cap. 33, 71 (*ingredior iam in Sextii tribunatum*) summo iure sustulit Madvigius p. 468. Sed in ipso initio huius Capitis, *hoc interim tempore P. Sextius, iudices, designatus*, postremum vocabulum delendum est, quod paullo inferius suo loco ponitur, hoc loco corrumpit aptam sententiae enuntiationem.

Sequitur de novorum magistratuum anno. *Exierunt malis ominibus atque exsecrationibus duo vulturii paludati: quibus utinam ipsis evenissent ea, quae tum homines precabantur! neque nos provinciam Macedoniam cum exercitu, neque equitatum in Syria et cohortes optimas perdidissemus.* Concedo ut audacius hoc a multis habeatur, sed tamen non reticebo, extremum illud, *neque nos—perdidissemus*, insititium mihi videri. Est sane hoc gravissimum omnium eorum, quae Pisoni et Gabinio imputari potuerint: sed, si tum iam ita de istis constaret, non omisisset infra

commemorare, Cap. 43, 93, seq. ubi de industria eorum scelera persequitur. Conflata mihi videntur et praerepta ex orat. Provinc. Consul. 2, 4, usque ad Cap. 5. Non sunt, praeterea, suo loco dicta; impediuntque cursum orationis, qui ad Sextii tribunatum properat. Verum suum cuique et sensum et iudicium concedo.

De corruptis verbis § 72, nullus fere editorum est, quin suam sibi habeat opinionem modumque corrigendi. Madvigius, p. 470, in illis *Gaviolaeliorea*, aut *Gavii oleli horreo*, nihil attingere audet, nisi, idque subtimidus, ut pro *horreo*, sibi non displicere dicat *rure*. Sed fallitur, quum adfert, infra Cap. 38, 82, in eodem homine dici *rusticulus*, et *mulionia penula*: nam haec de Graccho dicuntur. Reliquis coniecturis mea accedat: *ex deserto Gavii Ofilii horto, calatis Gaviis, in Calatinos Attilios insitus*. Ofiliorum Campana familia cognoscetur e Dukero ad Liv. XXIII, 2. Tum *insitus* necessario figuram refert ad arbores serendas, quae neque ex *horreo*, neque e *rure*, sed ex *horto* transducuntur.

Iure Madvigius p. 471, in Cap. 34, 73, vindicavit alteram lectionem, *magna rerum perturbatione impendente*, prae vulg. *permutatione*. Cognovit, ut videtur, Cicero Cottae orationem de scripto habitam, eiusque argumentum in breve contra-

hit spatium: ut minori offensioni sit iteratio eiusdem propemodum vocabuli. Sic Metelli orationem in exsilio cognovit: cf. ad Div. V, 4. — Paullo post omnino adsciscendus ordo verborum, quem Voss. exhibet in his, *quum absens non minus rem publicam*, pro *rem publ. non minus.* Postulat hoc oppositio. — Tum in § 74: *sed post eum rogatus Cn. Pompeius*, delendum *sed*, quod in Voss. quoque omittitur. Agnoscitur iteratio extremae syllabae praecedentis vocabuli, *et:* quae particula quoties in *sed* fuerit mutata, omnes fere Codices docere possunt.

Non puto acquiescendum esse in Madvigii p. 472 correctione, Cap. 35, 75, *venit tandem in concilio de me agendi dies*, pro eo, quod Editiones occupavit, *concilii de me agendi.* Dicitur sane *agere* cum populo, in huiusmodi rebus. Sed *agere* h. l. gravius quid significat, opponiturque quieti, et patientiae, ut eorum, qui, donec referretur in senatu de Cicerone, verbum emitti nullum posse in causa eius putabant. Legendum puto, *venit tandem consilio de me agendi dies.* Et *consilio agere* is dicitur, qui non auctoritate, i. e. solus, sed adiutus, et ex deliberata cum multis sententia agit. Infra, de Milone, Cap. 40, 87: *agebat auctoritate, agebat consilio.*

Satis abundat ipse Cicero adiectivis, quibus

alios ornet, sed cavendum, ne per alios talia minus opportuno loco intrudantur. Itaque § 76, *fratrem meum, virum optimum*, satis erit; facileque caremus his adiectis, *fortissimum, meique amantissimum*. Neque hic amor quidquam ad rem pertinet, et inepte fortitudo in eo laudatur, qui vitam suam servare decrevisset. Tum miror nullam habitam esse Ernesti rationem, qui in sequentibus, de eodem Quinto fratre, bene mihi videtur interpolationem indicasse: *quorum ille telis libenter [in tanto luctu ac desiderio mei, non repugnandi sed moriendi causa] corpus obtulisset suum, nisi suam vitam ad spem mei reditus reservasset.* Inepte dicitur, *corpus telis obiicere repugnandi causa.* Quae uncinis inclusimus, et Ernesto suspecta erant, ea omittunt duo Codd. Leid.: de aliis Codd. nihil memoratur.

Expositis iis, quae in foro accidissent, quum Fabricius rogationem ferre cogitaret, sequuntur haec Cap. 36, 77: *nihil, neque ante hoc tempus, neque hoc ipso turbulentissimo die, criminationis esse in Sextium.* Sic fere Codices: quae nollem corrigere studuissent viri docti, quippe mera est annotatio rhetoris, qui huius argumentationis, quae sequitur, epitomen fecerat. Prodit iste suum, si diis placet, acumen, dicens *neque ante hoc tempus;* quasi alio pertineret illa Albinovani accusa-

tio de vi, nisi ad hunc ipsum diem. Contra ipse orator haec duo tempora distinguit, primum ipsius illius diei, alterum, *ex eo tempore:* ut loquitur Cap. 37, init. Mitto formam Infinitivam, ipsumque vocabulum *criminationis*. Sed his sublatis, quae numquam Cicero scripsit, animadvertendum est reliquorum etiam nexum nullum esse. Primum sequitur*: atqui vis in foro versata est:* quae obiectio adversariorum, quum nihil dum defendisset orator, in primis post superiora (*corporibus civium Tiberim compleri,* cet.) minime suo loco ponitur. Aliquanto post § 78, quum dixisset, verisimile non esse ut quisquam, praeter illas conductas Clodii operas, tum in forum descendisset, quaerit ab accusatore, num illo die Sextius cum praesidio in foro fuerit: quumque respondisset, *non fuisse*, subiicit, victam igitur esse causam rei puplicae vi, cet. Mirum est, tam patienter haec legi ab omnibus, a quibus, donec didicero, quo modo talia cohaereant, transpositione restituendam esse Ciceronis argumentationem existimabo. Expositis igitur, quae illo die Fabriciano accidissent, sic inchoare velim Cap. 36: *Hic iam de ipso accusatore quaero, qui P. Sextium queritur cum multitudine in tribunatu, et cum praesidio magno fuisse, num illo die fuerit? — Certe non fuit. — Atqui vis in foro versata est. — Certe: quando*

enim maior? Lapidationes persaepe vidimus, non ita saepe — quis audivit? (78). *An verisimile est, ut civis Romanus — praeter eos, qui ab illo pestifero ac perdito cive iampridem rei publicae sanguine saginantur? Victa igitur est causa rei publicae* cet.

In describenda origine et progressu seditionis in concione, bene vindicat Madvigius p. 473, *deinde aliqua discessione concionis*, pro quo Orellius *dissensione* maluerat. Firmatur vera lectio ea ipsa observatione, *discessionem* proprie in senatu dici, ideoque oratorem dicere *aliqua discessione*, quae adiectio intempestiva fuisset in *dissensione*.

Nec minus accurrate Madvigius ibid. tractat locum impeditum (Cap. 36, 78) atque interpolatione liberavit: sed praeterea prius *Fabricio* delendum est, propter eandem Clodii legem, de qua supra Cap. 15, 33: legendumque: *nam si obnuntiasset is, qui se servasse de coelo diceret.* Altero loco recte ponitur *Fabricio: si intercessisset collega Fabricio:* nam hoc tum quoque fieri poterat.

Sed remansit in clausula eius loci absurdum quid, nondum a quoquam animadversum: *accepisset res publica plagam, sed eam, quam acceptam gemere posset.* Nonnulli Mss. *gemere non queri posset.* Atqui *queri* idem est quod *gemere*, sicut ad Att. IV, 3 *querela* et *gemitus* iunguntur.

Igitur *queri* interpretamentum est verbi *gemere*, quod ipsum, quum non nisi in iis dicatur, quae contra ius fiunt (conf. supra Cap. 14, fin. et Cap. 30, fin.) sublato tantum illo interpretamento legendum, *gemere non posset*. Manifesto enim hoc requiritur, ut dicat, etiamsi laesa esset res publica, tamen in eo, quippe iure factum esset, acquiescere oportere.

Nondum perpurgatum hoc Caput est. Quum memorasset, quibus modis si laesa esset res publica, gemere non liceret, nunc opponit his vim et arma Clodii, sed ita cum indignatione, ut brevibus interrogationibus defungatur. *Gladiatores tu novicios, pro exspectata aedilitate suppositos, cum sicariis e carcere emissis ante lucem in forum immittas? magistratus templo deiicias? caedem maximam facias? forum purges? et, quum* cet. Intempestivis additamentis onerarunt priora, quae minime sequentium brevitati respondent. Rectius multo alii Codd., omissis illis, *novicios — aedilitate*, legunt *supponas*. Nulla h. l. irrisione, qualem interpretatur Madvigius p. 475, opus erat: genus ipsum hominum a Clodio comparatorum notandum erat: unde essent, significaverat iam Cap. 35 fin., conf. Cap. 39, 85. Pariter interpolata sunt in sequentibus, *e carcere emissis*, sumta ex huius rei mentione, infra Cap.

44, 95: quasi nulli sicarii essent, nisi qui e carcere emissi essent. Quaero etiam, *pro exspectata aedilitate suppositos*, an Latinum sit. Non mirer, si istud de *noviciis* gladiatoribus per errorem petitum esset e Cap. 64, ubi de Vatinii gladiatoribus agitur. Totum locum sic lego: *Gladiatores tu supponas? Sicarios ante lucem in forum immittas?* Et *supponere* non est, ut in aliis rebus, per fraudem fingere; sed certis locis, ut in praesidio, collocare. Postremo, de eiusdem Capitis fine hoc monendum est, nulla probabili interpretatione defendi posse illud *forum purges*. Multo praestat id, quod Cod. Leid. offert, *oppugnes*.

Initio Cap. 37 haec eduntur: *Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sextius, ut a suis munitus tuto in foro magistratum gereret, rem publicam administraret*. In his merito Madvigium p. 476 offendit asyndeton: tum illud, quod *in foro magistratum gerere* dicitur. Vellem attendisset diligentius ad illam in nonnullis Codd. iterationem verborum *ut a suis munitus:* unde mihi quidem suspicio confirmata est, *rempublicam administraret* ad scholion relegandum esse. Scilicet, intelligi poterat e forma huius sententiae (*ne ex eo quidem tempore id egit*) hoc loco non nisi id memorari oportere, quod minimum esset, neque convenire ut hoc praeter necessitatem amplificaretur.

Est id nihil aliud, nisi *magistratum gerere*, quod omitti a Sextio non poterat: *rem publicam administrare*, inutilis et intempestiva esset amplificatio. Tenebat interpolator saepe ista coniungi: veluti Verr. I, 12, 33: *ad magistratus remque publicam accessit:* ibid. 13, 34: *principium magistratuum gerendorum et rei publicae administrandae.* Sed ita universe de illa conditione loquitur, id quod in hunc locum non cadit. Praeterea, si parum recte *in foro magistratum gerere* dicitur, non video quo modo defendatur *in foro rem publicam administrare.* Apte infra, Cap. 42, 90, de Milone, *qui sibi licere vult tuto esse in foro, in templo, in curia.* Credo legendum esse, quoniam, ex adiecto in nonnullis Codd. *tuo* post *foro*, videtur in ordine verborum variatum antiquitus fuisse, — *ut a suis munitus in foro tuto magistratum gereret:* deletis reliquis.

In § 80, rectissime sane Madvigius ibid. sq. revocavit Pantagathi lectionem, *male dic Titio Sabino:* sed in seqq., *cur tam tempore exclamarit occisum*, nollem e Paris. substitutum *tam temere:* meliusque esse credo, quod habet Voss., *tantopere.* Mox: *num defuit gladiis? num repugnavit?* praefero alteram lectionem, *num repudiavit.* Ironicae sunt interrogationes; quasi haec ipsa vis esset, *repudiare*, i. e. non accipere gladios: nam *repu-*

gnare si dicitur, tamen contentio quaedam cum vi coniuncta cogitari debet.

Leviter corrigendum est in Cap. 38, 80: *ubi est crimen? quid reprehenditis?* Postulat hoc animus oratoris urgentis iam adversarium: nec recte dicitur, *crimen quod repreh.*, quoniam *crimen* ipsa est reprehensio, obiectio. Simile est pro Fonteio, fragm. Niebuhr. init., *quid acusas? quid reprehendis?* — Mox § 81. sequendum arbitror Voss. indicium, et, deleto *ad*, legendum: *fuistisne patrium illum animum — excitaturi?* et confirmatur hoc exemplo Lambini emendatio in Ligariana 7, 23, quam commendat Madvigius Opusc. p. 199. — Eadem auctoritate, § 83, melior revocetur verborum ordo, *aut in rem publicam animo.* Sed maius est hoc, quod sententiarum nexum turbarunt cuncti in his, quae paullo post sequuntur. Argumentationis fundus hic est: si occisus esset Sextius, statuam ei statueretis: igitur vivus non spoliandus est ornamentis. Enunciat hoc uberius: quumque dixisset neminem eorum, quorum statuas in rostris viderent, Sextio praeponendum esse, sic pergit: *qui quum causam civis calamitosi, — causam reipublicae suscepisset, quumque auspiciis religionique parens obnuntiaret, quod senserat: luce, palam, — esset occisus, — sanctissimo in magi-*

stratu. Eius igitur vitam quisquam spoliandam ornamentis esse dicet, cuius mortem ornandam monumento sempiterno putaretis? Neminem videtur offendisse, quod in priori parte et sententia dicitur, *Sextius occisus esset;* quodque hoc e nulla coniunctione suspensum, neque pro *occisus fuisset*, neque pro *occisus esset, si esset occisus*, accipi potest. Sed bene se habent omnia, si illa postrema, *luce, palam*, ex amissa initio partic. *si* suspendemus; ut dicat: *qui, si, quum — senserat, luce, palam — occisus esset — sanctissimo in magistratu: eius igitur vitam — putaretis?* quam postremam apodosin oratorie usurpat, pro, *mortem eius sempiterno monumento ornandam putaretis; quidni igitur vivo conservatis ornamenta?* Si postrema integram ac separatam efficerent sententiam, satis esset illa sibi invicem opponere, nec tempestiva foret coni. *igitur:* atqui haec in apodosi, et in instauratione per aliam formam necessaria erat.

Aliquanto inferius, § 82, ubi recte Madv. p. 478 e Cod. Paris. correxit *perhorruerunt*, ducit eodem Cod. quoque Leid., exhibens *perhorruerint.* Sed satis mirari non possum tam diu toleratam esse omnium Codd. lectionem, in his eiusdem §: *quod nisi esset patefactum paullo citius, quam vellem*, cet. Ciceronis scilicet intererat sero illud pa-

tefieri! Imo ipsorum Clodianorum intererat vere in illa strage occisum esse Sextium. Corrige, *vellent.*

Cap. 40, 86, Madvigius ibid., auctoritate Codd., reduxit, *et quid oporteret* —, *et quid necesse esset*, quum vulgo prius *et* omitteretur. Melius etiam disiunctionem declarat lectio Voss., *aut quid necesse esset,* in prioribus cum vulgata conspirans: propterea, quod alterum hoc usu non veniret, nisi sublata potestate alterius.

Quam coecus sit interpretandi dux prava distinctio sententiarum, cognovi e Cap. 40, 87: *adiit ad rem publicam tribunus pl. Milo:* ubi Orellius *adiit* interpretatur, *causam rei p. forti animo suscepit.* Non dubitabit vir praestantissimus admonitus hoc abiicere, mecumque agnoscere, interrumpi sententiae constructionisque absolutionem interposita parenthesi, *de cuius — existimaturos:* tum instaurari idem pleneque absolvi, *adiit igitur* cet. Numquam istud absolute ponitur, illo sensu. Tum eiicienda verba sunt *tribunus plebis*, recte ab uno e Vossianis omissa, orta ex iterata explicatione et falsa praecedentis compendii *r. p.*

Corrupta lectio est in omnibus Codd., Cap. 41, 89, fin. hoc modo: *etiameripireeicit, ut, quoniam sibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in suo, neque in rei publicae periculo pertimesceret.* Lambini coniectura *etiam e re*

publica credidit, ut — recte damnatur: nec tantum, *credo ut faciam*, dici non poterat: sed putidum adeo, *e republica est, rei publicae periculo prospicere.* Nec magis placet Madvigii coniectura p. 479, ex illo monstro Codicum efficientis — *et latere. Perfecit, ut, quoniam.* — Nam primum de illo *latere*, non concedo tertium requiri Infinitivum, quo tria respondeant tribus quaestionibus antecedentibus: manifestum est enim, *causam affligere* quum universe diceretur, huius generis speciem esse, *domi se continere;* et utrumque contineri uno verbo *deterreri.* Tum, quod subiicit, — *Perfecit, ut — pertimesceret;* minime omnium declarat quid fecerit Milo: quod tamen recte necesse esse putavit ipse. *Perfecit ut non pertimesceret* enunciatio est, quae formam modumque quemdam nacta est, pro *non pertimuit:* divinandumque relinquitur, quo modo perfecerit. Non abutar otio in demonstranda origine corruptelae: quod in talibus portentis lectionum prorsus inutile esse censeo: sed conieci legendum esse, *Vitae praesidium comparavit, ut*, cet. Qui hoc corrumpi non potuisse putant, explicaturos esse spero, quo modo mox *iure*, in *qui vitae* corrumpi potuerit.

Sequitur, Cap. 42, 91, locus communis, de origine omnis societatis, et civitatum, invento

iure, quo vis extincta esset. *Tum res, ad communem utilitatem, quas publicas appellamus, tum conventicula hominum, quae postea civitates nominatae sunt, tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus, invento et divino et humano iure, moenibus saepserunt.* In his recte adversatur Madvigius p. 480. sq. Zeugmati, quo *saepserunt* transferri voluerant ad *res publicas* et ad *civitates:* ipseque, post *nominatae sunt*, vel *instituerunt*, vel aliud simile verbum inserendum existimat. Sed non attendit vir praestantissimus *moenium* et *saepiendi* mentionem totam alienam esse ab ea disputatione, in qua ostenditur invento iure vim cecidisse: adversus quid enim aliud, nisi contra vim, moenibus opus est? Pison. 2, 5: *ut, a quo legibus non poteramus, moenibus tuti esse possemus.* Comparatio est, ibid. 4, 9: *lex Aelia et Fufia — propugnacula murique tranquillitatis.* Caecin. 26, 75: *haec iure civili saepta sunt.* Neque hoc voluit Cicero: sed, ipsas illas coitiones, et domiciliorum coniunctionem fieri non potuisse, nisi quum a se invicem tuti essent homines invento iure. Legendum necessario est, — *invento et divino et humano iure, tamquam moenibus, saepserunt.* Sic defenditur quoque vulgata, initio huius sententiae, *res ad communem utilitatem — invento — iure — saepserunt*: ne-

que indigemus eo, quod Madv. excogitavit, adscito e nonnullis Codd. participio, *res communem utilitatem continentes.* Manifesto hoc participium interpolationi debetur. Legg. I, 5, 11: *constat ad salutem civium, civitatumque incolumitatem — inventas esse leges.* Operae pretium est similes locos conferre, Orat. I, 8, 33. 9, 36. Rep. I, 25, IV, 3. — Paulo ante, Voss. rectius *ad iustitiam atque ad mansuetudinem.* Idemque habet initio huius §, *quis enim nostrum.*

Non spernenda fortasse est manus Voss. in § 92: *Milo et vidit, et fecit, ut ius experiretur, et vim depelleret:* quum vulgata postremam illam copulam omittat. Sed vitio praeterea credo expulsam esse eamdem e priori quoque membro: ut legendum sit, *ut et ius exper., et v. d.*

Quum de Gabinio, per ironiam, dicitur Cap. 43, 93, *homo castus ac non cupidus;* tum hic locus, tum alia multa exempla, quae vel Indices suppeditabunt, revocabunt viros doctos a mutanda omnium fere librorum lectione in Verr. I, 39, 100, ubi sic Verres dicitur *homo castissimus.* Ponitur hoc adiectivum in abstinentia, et integritate. Sed video hoc iam monuisse Madv. Opusc. p. 332.

De Cap. 44, 95, monendum primo est, duo vocabula interpolata esse, ubi de Clodio tribuno dicitur, — *et servos ad caedem idoneos emit, et*

in tribunatu carcerem totum in forum effudit. *Idoneos* ortum esse ex ignorata constructione, supra p. 70 iam dixi: itaque simnl ortum est ridiculum hoc, ut Cicero diceret, idoneos qui caederentur: hoc enim est, *idoneos ad caedem.* Tum *in tribunatu* qui inseruit, nescio quos pueros docendos habuerit.

Aliquanto snbtilius est iudicium de sequentibus. Pergit in conferendo Milone cum Clodio. *Hic* (Milo), *qui se est tutatus sic, ut in privata re deos penates suos, in re publica iura tribunatus auspiciaque defenderet, accusare eum moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs.* In postremis his recte sibi invicem opponuntur *moderate* et *nefarie:* sed idem verbnm *accusandi* in utroque poni, (etiamsi vere tnm Clodius *accusavit* Milonem) nullo modo probari potest: neque accurate dicitur, quippe, quum Milo accusare vellet, nondum a Clodio accusabatur; neque, si ita esset, haec erat Miloni causa accusandi. Requiro, *a quo ipse nefarie oppugnatur*, nt appareat in his quoque Milonem vim Clodii primum iure reprimere voluisse. Sic in Miloniana 13, 35, non accusatio Clodii, sed *arma* et *vis* eius opponuntur Milonis accusationi: *domitorem armorum suorum, postremo etiam accusatorem suum.* Quae eo loco

sequuntur, *Reus enim — vixit;* turpiter ex Scholio illis verbis adhaeserunt, et procul dubio eodem releganda. Sed illam correctionem meam firmant haec quoque, Milon. 14, 38: *potuitne, quum domum ac deos penates suos, illo oppugnante, defenderet, iure se ulcisci?*

VII.

Continuatio (Cap. 45—69).

Pulcherrimam ingreditur orator demonstrationem, qui essent optimates, qui populares, (inde a Cap. 45) respondens Albinovano, qui ridendo quaesierat, *quae esset natio optimatium:* igitur populares esse, qui multitudini, optimates, qui optimo cuique probari cuperent. Multitudinem quum bene teneret Albinovanus, rursus quaerens inducitur, *Quis ergo iste optimus quisque*, (Voss. alter, *optimus iste quisque*, minus recte) quo modo legendum esse, spreta Lambini coniectura, et Codd. demonstrant, et vindicat Madvigius p. 482. sqq. Sed restant nonnulla accuratius explicanda. *Optimus quisque* locutio sollemnis fuisse videtur, quae opponeretur *multitudini.* Offic. I,

25, 85, in eodem argumento: *ex quo evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cuiusque videantur:* conf. ibid. 28, 99. Neque offensioni esse potest pronomen sic toti locutioni additum, praecipue in contemtu: velut, si quis Epicureum reprehendens inducatur dicens, *quae est ista voluptas movens?* aut *quam tu mihi appellas voluptatem moventem?* — Respondet orator, *Numero si quaeris, innumerabiles:* quod non melius esse arbitror, quam quod alii Codd. habent, *de numero*, ex interpolatione semel corruptae lectionis: nam vera manus mihi videtur fuisse, *Numerum si quaeris —:* de optimo quoque quaerit *numerum*; non *de numero*. Quae sequuntur, explicant illum numerum. Pergit dein ad genus ipsum definiendum. Sed in illa definitione confundere quodammodo videtur *optimates*, et *optimum quemque*, quibus postremis illos sua consilia probare studere modo dixerat, itaque distinxerat: nam, in verbis huius definitionis (*omnes optimates sunt, qui —*) revera complectitur eos, quos *optimi cuiusque* appellatione ab iis separaverat. Sed accuratius loquitur verus Cicero, si inepta interpolatione scripturam Codicum liberamus. Legendum primum — *sunt etiam libertini. Numerus* cet.; tum *omnes sunt*, deleto utrobique *optimates* (eademque interpolatio fuit olim post *esto*

igitur ut hi sint:) quod fieri oportere, ipsa demonstrationis via docet. Quaesierat alter non de *optimatibus*, sed de *optimo quoque:* responderat orator primum de numero, nunc de genere circumscribendo eiusdem illius optimi cuiusque. Neque ab initio, quum quaereretur, *quae esset natio optimatium*, de ipsis quaerebatur optimatibus, (de quibus satis vulgo constabat) sed ita quaerebatur, quasi nemo esset, aut nullus certe satis magnus civium numerus, quorum opinione ac voluntate isti niterentur. Hanc *nationem* (non ipsos optimates) quum primum neganti definitione complexus esset, rursus aienti definit. Et huius postremae definitionis, neque *esto igitur, ut*, neque *est igitur, ut* — initium esse posse, bene viderunt viri docti. Nam *est ut sit*, non nisi cum emphasi dicitur, veluti Divinat. I, 56, *non est igitur, ut mirandum sit*, i. e. nulla omnino mirandi causa est. Provocat Zumptius, vir praeclarus, ad Grammaticam suam, ut hanc rationem, quam bene reprehendit Madvigius, defendat, in annot. ad Divin. in Caecil. 7, 22, ubi est: *At enim solum id est, ut me Siculi maxime velint;* quod, si illam rationem bene capio, erit pro, *At enim solum me Siculi maxime volunt.* Quid h. l. *solum* sit, non intelligo: praeterquam quod illam syntaxin Latinam non esse sentio. Sed requiritur aliud, quod

sequenti, *obscurum*, opponatur. Id erit *salvum:* et *ut-velint* epexegesis est, pro Infinit. cum accus. Sed melius, quam Madvigius fecit (*sequitur ut*), corrigetur *efficitur ut —:* quae concludendi forma acerbissimam continet Albinovani irrisionem. — Restat extrema particula demonstrationis: *horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda re publica serviunt, defensores optimatium, ipsique optimates gravissimi et clarissimi cives numerantur, et principes civitatis.* In quibus rursus confuse *optimates* appellantur *defensores optimatium:* neque ulla est Latinitas, qua defenderetur, *ipsos* optimates diversos esse ab aliis optimatibus, quorum essent defensores. Priores interpolationes novam, ut videtur, pepererunt: corrigendumque est, *horum qui voluntati — serviunt: defensores civitatis, ipsique gravissimi* cet.: pronom. *ipsique* additur, quoniam non id quidem quaesierat adversarius, sed definitionem de suo largitur orator, unde disciplinae cuiusdam adolescentibus exordium caperet. Non cepit hoc Orellius.

His principibus civitatis, dein, (Cap. 46, 99) vigilandum esse dicit, *enitendumque omni scientia ac diligentia;* pro quibus Hottomanus conieceerat *omni studio ac d.* Optime refutabit ipse Cicero Legg. III, 18. fin.

Cap. 47, 100, ubi improbis, *qui ipsi etiam sponte sua contra rem publicam incitantur*, opponuntur boni, corrigendum est, *ad extremum ipsa demum necessitate excitantur*, pro *denique*. Eadem correctio adhibenda Milon. 18, 48, ubi nunc perperam legitur, *postridie hora decima denique ei nuntiabatur*. Sic in Cod. Voss. ibid. 19, 50, *dum* corruptum est in *denique*.

Minutum est, quod in principio Cap. 48, alter Voss. habet *haec immortalia, haec divina*: sed tamen alterum ordinem praestare puto e consuetudine Tulliana: Tusc. I, 28, *haec magna, haec divina, haec sempiterna*. — Maius est, neminem, quantum sciam, offendisse in iis, quae versibus Accianis subiiciuntur: *Idem alio loco dixit, quod exciperent improbi cives, Oderint, dum metuant*. Nolo nunc urgere alienissimam in tali oratione, (non loquor de philosophi disputatione) citandi rationem, quid *alio loco* idem poëta dixerit: et notissimus est Valckenaerii obelus in Xenophontis M. S. II, 1, 20: sed quid tandem ista huc pertinent? Suntne haec quoque *praeclara* (ut subiicit) *praecepta*, quae *dederat* ille *iuventuti?* Aut omnino agebatur de iis, quae improbi sequerentur? Noli dubitare, quin totum hoc adiectum sit ex docti et intempestivi annotatione rhetoris, qui meminisset ista apponi a Cicerone aliis locis,

ut Offic. I, 28, 2. II, 7. init. hic plane corrumpunt disputationem.

Mox sequitur, § 103: *sed tamen haec via, haec ratio rei publicae capessendae, olim erat magis pertimescenda*, cet. Quum Paris. exhibeat *haec via ratio*, postremum vocabulum, ut interpretandi causa adiectum, simul cum altero pronomine, quod omnes reliquos Codd. videtur occupare, delere vult Madvigius p. 485: recte; modo simul sustulisset *rei publ. capess.* Nimirum *via* et *ratio* saepe quidem ita cumulantur, ut Verr. V, 1, 4, *defensionis ratio viaque*: sed non sunt ita distincta, ut per anaphoram pronominis hoc fieri possit.

In describendis veteribus illis popularibus et optimatibus, Cap. 49, 105, oppositio obliterata est prava distinctione, adiuvandaque levi correctione. *Qui autem adversabantur ei generi* (popularium), *graves et magni homines habebantur: sed valebant in senatu multum, apud bonos viros plurimum, multitudini iucundi non erant*, cet. Nulla in his varietas notatur, nisi quod Hervag. omittit *homines*. Sed neque *magni*, neque *magni homines*, hoc quidem loco, aptum est. Legendum et distinguendum: *Qui autem — ei generi, graves et magni animi habebantur, et valebant — plurimum: multitudini iuc.* cet. Neutrum illorum (*graves*, et *magni animi*), etiamsi

honeste diceretur, sine quadam reprehensione cogitabatur saepe: cf. Amic. 25, 95, et Offic. I, 19, sqq.

Et aliis locis, et ad Cap. 50, 106, Codicis archetypi manifesta subinde additamenta deprehendi ipse Madvigius p. 486 recte agnovit. Itaque rectius, omisso, quod adiicitur, *conciones*, legetur, *habitae sunt multae de me a gladiatore sceleratissimo.* Sed, qui de praepostera iteratione vocabuli cuiusdam initio sententiae recte disputaverat p. 453, ad Cap. 11, 26, ferre non oportebat id, quod statim de illis concionibus subiicitur, *Erant, erant illae conciones —:* imo Cicero scripsit: *erant illae perditorum hominum necessario turbulentae.* Atque oppositioni simplicitas constabit, si hoc modo legimus; *habuit de eodem me P. Lentulus consul: concursus est populi R. factus.* Prius illud alio modo interpolatum est in Voss., *erant enim illae conciones.*

Lentuli memorata concione (§ 107) agitur de Pompeio, *qui se non solum auctorem meae salutis, sed etiam supplicem populo Romano exhibuit.* Madvigius p. 487 recte offenditur locutione *se supplicem exhibere:* corrigitque *praebuit.* Parum aptum hoc quidem: quumque e Voss. lectione appareat vagam esse potuisse sedem pronominis *se*, suspicor, eo deleto, legendum esse, *qui*

non solum auctor meae salutis, sed etiam supplex populo Romano exstitit. Quae statim sequuntur, vel ipsa membrorum in singulis huius oppositionis partibus paritate damnantur. Nam de Lentuli concione, una sententia comprehenderat, *egit causam-accidisse:* itaque par est de Pompeii concione semel subiicere voluisse tantum haec, *sic contendo* cet. Hinc factum, ut, in illa nonnullorum Codd. breviori recensione, Cod. Leid. omittat haec postrema, quippe quae iterare viderentur modo dicta.

Cap. 51, 110, alia de L. Gellio bene expedivit interpretando Madvigius p. 489. Sed in his offendor intempestiva et otiosa interpretatione, qua nos otiosus rhetor aliquis beavit: *postea quam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam perduxit, Graeculum se atque otiosum putari voluit, studio literarum se subito dedidit.* Asyndeton ipsum prodit ineptum additamentum postremorum, in quibus honeste illud appellatur, quod risui et contemtui obiicere voluit orator. Sequuntur corruptissima haec, e vulgata editione: *Nihil sane Attae iuvabant; anagnostae, libelli etiam pro vino saepe oppignerabantur; manebat insaturabile abdomen, copiae deficiebant.* Neque in his quidquam iuvant Codices: quibus virorum doctorum placent coniecturae,

per me utantur: meaque haec accedat. Scribebatur antiquitus pro *nihil*, *nichil*. Legendum, *nec hic satiatum iuvabant anagnostae; libelli etiam —: manebat insaturabile abdomen*, deletis postremis, quae facile intelligi poterant, ex oppigneratis iam extremis, quae habuerat, *anagnostis* et *libellis*, i. e. compendiis et dictatis, ut hodie vocant, philosophorum et rhetorum. Sententia, credo, satis clara est.

Quod Madvigius p. 490, in Cap. 52, 112, Indicativum vindicat in his, *contra me quum est actum;* in mentem revocat, minus recte iudicare Zumptium, in Verr. IV, 35, 77: *quod cum ex oppido exportabatur, quem conventum mulierum factum esse arbitramini:* in quibus »Indicativus, inquit, nihilo deterior quam Subiunctivus, immo describendae rei aptior." Nimirum Indicat. propterea postulatur adeo, quod reliqua, quasi *κατὰ τὸ σημαινόμενον*, accipienda sunt pro, *magnus conventus mulierum factus est.*

Quemadmodum pauci loci difficiles et impediti Madvigii excellens acumen latuerunt, ita ibid. non omisit hunc (Cap. 53, 114) de Vatinio, qui aedilitatem petiverat: *nec quidquam illis comitiis, quod boni viri vellent, nisi repulsam tulit.* Corrupta ducit haec Orellius, defendit Madvigius ut

negligentius scripta. Neuter recte interpretatur. Primum oxymorum est in his, *nihil nisi repulsam tulit*; ac si dicas, nihil, nisi nihil tulit: praecesserat enim, *tribum suam non tulit, Palatinam perdidit*. Tum, *quod boni viri vellent*, non est, quod sibi vellent, optabile: sed, quod vellent eum ferre. Dicuntur haec simul ad irridendum Vatinium: nihil hic, quod illis comitiis ferre eum vellent boni viri, tulit, nisi repulsam. Neque obscure haec, nec negligenter scripta sunt.

Si Cap. 55, 117, scriptum exstaret: *quo quidem tempore, quid populus Romanus sentire se ostenderet, utroque in genere declaravit*, uteremur, ad defendendum, macrologiae observatione, de qua post alios Beierus, ad Fragm. pro Tullio p. 59. (aliena autem confundit Zumpt. ad Verr. II, 18, 45.) Sed, *declaratum est*, i. q. apparuit, constitit, idque addendum erat propter adiecta *in utroque genere*. Igitur nihil aliud dicit, nisi, populi significationes quid sentiret, constiterunt tum in bonam, tum in malam partem. Et omnino macrologia non nisi ad certum orationis ἦθος pertinet, quod ab hoc loco alienissimum est. — Sed illud, *utroque in genere*, secus, quam oportebat, accipi, ostendit prava in sequentibus distinctio, quae ita coniunguntur cum superioribus, quasi in *primo* et *deinde* utrumque illud genus lateret.

Imo duobus illis, et reliquis, usque ad *declararunt*, alterum genus; sequentibus, *at, quum ille furibundus—*, alterum continetur. Igitur post *declaratum est* maxima ponatur distinctio. Sed haec interpretandi munus attingunt. Emendatio loci corrupti, qui sequitur, Garatonio, pace Madvigii p. 493 dicam, haud prospere cessit, (nam reliquas refutare suspiciones, longum est.) *Primo, quum, audito Scto, ore ipsi atque absenti senatui plausus est ab universis datus: deinde, quum senatoribus singulis spectatum e senatu redeuntibus—*. Pro corrupto *ore ipsi*, nihil aliud dici potuisse affirmat Madvigius, nisi *rei ipsi*. Concedamus recte dici, aut certe a Cicerone dictum fuisse, *rei cuidam plausum dare* (quod tamen non concedo;) num alii cuiquam, nisi rei, quam decrevissent, plaudebatur, quum senatui plausus dabatur? Plaudi solet hominibus ob eas res, quas perfecerunt. Tum, quod subnectitur, *atque absenti senatui*, necessario ita dicitur, ut cogitandum sit de eo quod insolitum, novum, extraordinarium esset; quum solerent praesentes plausu excipere. Atqui, *rei ipsi* plaudere adeo non est novum, ut, nisi res quaedam fuisset, neminem plausurum fuisse existimem. Supersunt alia corrupta, ex prava illa *utriusque generis* interpretatione, quam modo notavi: et tum *primo* non recte poni-

tur: tum *quum* utrobique interpolatum aut corruptum est. Sanam habebit locus sententiam, si corrigimus: *Primum, nondum audito Scto, rumori ipsi atque absenti senatui plausus est ab universis datus, deinde senatoribus singulis spectatum e senatu redeuntibus: quum vero ipse*, cet. *Rumoris* momentum in talibus rebus notatur quoque Verr. II, 19, 47. Manil. 9, 25. Infra, Cap. 56, 120, satis habuit appellare *nuntium de Scto perlatum.*

Ne proximo quidem loco (§ 118) tam vere vidit Garatonius, quam Orellio Madvigioque persuasum videtur. *Sed quid ego populi Romani animum virtutemque commemoro, libertatem iam ex diuturna servitute respicientis, in eo homine, cui tum petenti iam aedilitatem ne histriones quidem coram sedenti pepercerunt.* Ex altera lectione, *despicientis*, fieri volunt *dispicientis.* Sed primum, quae *dispiciendi* verbo continetur metaphora, ei reliqua non conveniunt: quemadmodum proprie dixit declamator Orat. post Red. in Senatu, *e tenebris lucem dispicere.* Deinde, quid est illud, *libertatem dispicere in Clodio?* (necessario enim haec coniunguntur:) merae ineptiae. Postremo, apertum est, quid oppositionis alterum membrum postulet in priori. Histriones non pepercerunt Clodio, i. e. libere ita versus pro-

nunciarunt et egerunt, ut eum discinderent, sibilisque obiicerent: igitur opus est ipsius populi Romani animum commemorari, non *libertatem dispicientis*, (quod minime respondet illi *non pepercerunt*) sed *recipientis in eo homine*, i. e. erga Clodium, constrictam antea libertatem et amissam iterum sumentis et sibi vindicantis. Alio hoc modo dicitur Philipp. II, 26, 64: *una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit.* Phil. III, 11, 29: *aliquando — patrium animum virtutemque capiamus, ut aut libertatem — recuperemus, aut mortem servituti anteponamus.*

Uteremur exquisita Madvigii p. 494 observatione in Cap. 56, 120, de *tamquam* poni solito in earum quoque rerum comparatione, quarum utraque vera sit, pro *quemadmodum*, nisi otiosam redderet eam diligens ipsius loci consideratio. Conferri putantur inter se, Aesopus *optimarum partium fuit in scena*, et *optimarum partium fuit in re publica:* sed falso. Ipsa verborum collocatio ostendit *partes*, quum proprie diceretur in scena, per metaphoram transferri ad rem publicam: neque in huiusmodi figura locus esse poterat particulae *quemadmodum*. Quis umquam ferret, *in philosophiae quemadmodum portum se recipere?* Communi sermonis usu paullatim *partes* civili quoque sensu usurpari solitum fuisse, nihil

nunc ad rem. — Sed praeterea *flens*, *et recenti laetitia* leviter corrigendum, ut fiat *ex rec. l.* — Tum recte Madvigius mox, *egit ad populum Romanum;* sed non tantum hoc, verum etiam *ad pop. R. tunc* latere arbitror in corrupto Voss. *apte.* — In sequentibus eiusdem §, non possum adduci, ut illa, *Quid enim?* non esse ipsius oratoris putem: praemittitur haec formula exemplis nunc deinceps excitandis: neque igitur emendandum est, quod necesse esse crediderunt viri docti.

Ingentes difficultates pepererunt haec verba, initio Cap. 57. *Iam illa, quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paullo post in eadem fabula sunt acta? » O pater!"* Disputatur, ut sunt omnino curiosi viri docti, quibus ex fabulis ducti sint versus illi, qui seorsum et hoc, et superiori Capite citantur ab oratore. De illis, *ô pater, haec omnia*, dubium esse non solet: esse enim ex Ennii Andromacha, novimus tum aliunde, tum e Tusc. III, 19, ubi vid. Intpp. Et de postremis, *ô ingratifici*, et *exsulare sinitis*, fides habenda Schol. Vaticano, esse ex Accii Eurysace. Sed, quum illis, *ô pater*, praemittatur *in eadem fabula*, firmiter videntur tenere viri docti, ipseque Madvigius p. 495, superiora quoque (*qui rem publicam*, et *re dubia*) ex Andromacha esse, tantumque ignorare nos a quo et de quo dicantur. Scilicet

ignorantia appellatur in veris et quae esse possunt, non in fictis: et falsum esse hoc, priora esse ex eadem Andromachae fabula, demonstrare conabor.

1. Ducem sequamur ipsum Madvigium; qui, quum recte ostenderet, postrema, (*ô ingratifici*, cet.) non esse posse ex eadem cum superioribus fabula, quod iis praemittatur novum exclamandi exordium, *Quid? illa, quemadmodum dixit idem?* tamquam de alia re alioque tempore; non intelligo cur non idem deprehenderit in proxime praecedentibus: *Iam illa, quanto cum gemitu* cet.: quibus tam indicatur aliud tempus, quam illis. Cave enim, *paulo post* accipias de progressu ipsius fabulae: neque hoc intererat scire aut dici: sententias ipsas, et histrionis pronunciationem in memoriam revocari attinebat. Praeterea diversi temporis mentionem fieri, declarant, opinor, illa verba: *quanto cum gemitu populi Romani:* qua gravitate non usus esset in continuatione eiusdem mentionis.

2. Etiam si integra Andromacha Enniana caremus, non difficile tamen est, adhibita collatione scenicorum Graecorum, divinare quae personae, qui mores, quae historia totius fabulae fuerit. Possunt, fateor, multa de scena citari, quae pluribus fabulis aut personis apta sint: sed sunt ea fere e genere morali, sententiaeque generales.

Haec, de quibus nunc agitur, certae personae tribuenda sunt, qualem in Andromacha fingere nemo poterit.

3. Fac esse illa ex eadem fabula: num quis existimabit hoc ab oratore memorari debuisse, aut sine ingenti dignitatis iactura auditorumque contemtu dici potuisse? praesertim in tam celebrato carmine.

4. Multo minus usquam tam putidam in citando diligentiam exspectabimus omnino ab eo, qui capitis causam defendit in iudicio: et, ut brevi complectar, totum hoc, *in eadem fabula*, eodem se prodit vitio, quo supra (Cap. 48, 102) formula *alio loco*. Non reticendum, aliam rationem in hoc loco probari Ravio p. 47. sq.

Paulo ante, in fine Cap. superioris, *quum iam, omisso gestu, verbis poëtae, et studio actoris, et exspectationi nostrae plauderetur*, frustra Orellius *gestum* et *verba poëtae* coniungi volebat, legens, *omisso gestu et verbis poëtae, studio* —. Plaudebatur revera *verbis poëtae*, quippe quae, praeter mentem poëtae ct gestum habitumque actoris, ab universis ad Ciceronem referebantur.

Sed in illo nobili cantico Andromachae revocando, memorandoque Aesopi artificio ac dolore, nexum posuit orator, qui levi scripturae mendo obliteratus est. *Quanto cum fletu de illis nostris incendiis ac ruinis, quum patrem pulsum, pa-*

triam afflictam deploraret, domum incensam eversamque? Sic egit, ut—fletum—excitaret. In postremis *sic egit* ita ordiuntur novam sententiam, ut, non amplius de singulis dicturus, omnia verbo comprehendere voluisse videatur. Nec tamen hoc patitur oratio: nam scripsit profecto Cicero: — *domum incensam, eversam; quae sic egit.*

Haec omnia vidi inflammari, ibid., in mentem revocant locum, in quo haec tragica cogitavit certe, pro Milon. 33, 90, sed distinctione meliori reddendum illi imitationi: — *luctuosius? Vidimus templum — inflammari, exscindi, funestari: neque id fieri — sed ab uno.* Deleto utrobique signo interrogandi.

Sequuntur § 122 haec: quum alia quaedam ita et acta et scripta esse sibi videri dixisset, *ut vel a Q. Catulo, si revixisset, praeclare posse dici viderentur: is enim libere reprehendere, et accusare populi nonnumquam temeritatem solebat, aut errorem senatus:* talem explicationem in homine haud ita pridem mortuo, et principe civitatis, quis, non dicam exspectaverit, sed patiatur in Cicerone? Longe diversae sunt epexegeses quibus solet uti orator, ut illae, quae sunt supra Cap. 47, 101. Post illa certe, quae praemiserat, non liberam reprehensionem aut accusationem, sed doloris iracundiam et verborum vehementiam

praedicari oportebat in Catulo. Equidem ista, *is enim — errorem senatus*, insititia esse iudico: sed suum quisque sequatur sensum.

Nondum dimittere hoc Caput licet. Quum enim, excitatis illis, *ō ingratifici Argivi* cet. monuisset, verum hoc non esse, quippe Romani miseri potius, quam ingrati tum fuissent; addit: *Sed tamen illud scripsit disertissimus poëta pro me, egit fortissimus actor, non solum optimus, de me, quum omnes ordines demonstraret* —. Ne infelicem, pene dicam perversam, Lambini coniecturam memorem, qui, pro *pro me*, excogitaverat *pro Telamone;* Graevii quoque interpretationem (»sic scripsit, ut optime convenirent huic meae »fortunae") sprevit Madvigius, ipse corrigens p. 497, *pro re.* Sed hoc quum necessario interpretandum sit, scripsit convenienter fabulae suae argumento, eiusque, quem loquentem induxit, moribus et temporibus; oriatur haec oratoris argumentatio: non erat illud (ingratos esse Romanos) quidem verum, sed tamen verum scripserat poëta. Quid, quaeso, hoc ad rem, utrum poëta pro re, an minus scripserit? Aut quod vinculum sententiarum in his: quamquam Romani non erant ingrati, tamen poëta scripsit pro re? Magis illa coniectura probari poterat, si legeretur: *sed tamen, quae scripsit — pro re, egit actor de me:* quam-

quam in his nihil novi inesset, quippe quod in omnibus, quae praecesserunt, idem dici poterat. Equidem non video, cur Accius pro Cicerone scripsisse dici non possit, quum haud ita multo post legamus (Cap. 58, 123) *utrum igitur haec Aesopum potius pro me, aut Accium dicere oportuit?* Nihil aliud hoc est, quam, ipsa *verba poëtae* (ut supra dicebatur), omisso gestu, ab audientibus in theatro ad Ciceronem relata fuisse, quippe ita scripta, ut plane illam calamitatem depingerent. Neque negligendum est, de his iisdem modo ante Ciceronem dixisse, *ita*, non tantum *acta*, sed etiam *scripta* sibi videri: porro, quum initium eius loci pronuntiavisset, *ô ingratifici—*, hoc quidem verum non esse; *sed tamen illud* poëtam pro se, i. e. vere, ita ut vere me attingeret, scripsisse, et ut populi Romani reprehensionem continere viderentur, nempe, *exsulare sinitis* cet. Haec, nisi me fallit, cogunt veram esse Codd. lectionem. In proximis, *et egit fortissimus actor — de me*, non revocandum est *illud* in verbo *egit:* sed hoc absolute intelligendum, sicut superiori Capite dixerat, *egit — meam causam:* nam *actor* quoque, (non *histrio*,) nunc ponitur civili sensu. Infra Cap. 62, 103, *de me* et *pro me* similiter coniunguntur.

Librariorum incuria leve remansit mendum

Cap. 58, 124, *consessu gladiatorio:* imo leg. *gladiatorum:* ut, sine ulla varietate, Cap. 50, 106, *ludorum gladiatorumque consessu.* Adiectivum alio modo usurpatur, velut *nomina gladiatoria*, Cap. 64, 134. Itaque init. Cap. 59, corrigendum, *nullum tempus — quam illud gladiatorum*, prout sequuntur genitivi, *neque concionis ullius* cet.: et Cap. 54, init. legendum *theatrales gladiatorumque consessus.* Tritum est, *gladiatores*, ut apud Graecos τραγῳδοί, κωμῳδοί, de tempore ludorum poni.

Turbatur nonnihil in loco de Regulo (Cap. 59, fin.) qui sic editur: *Tu mihi etiam M. Attilium Regulum commemoras, qui redire ipse Kathaginem sua voluntate ad supplicium, quam sine iis captivis, a quibus ad senatum missus erat, Romae manere maluerit.* Apparet manifesto, opinor, huiusmodi fuisse Albinovani reprehensionem: tu invita civitate, per vim et arma reditum tibi comparavisti: quanto generosior Regulus, qui reditum in patriam deseruit, ut hostibus adeo fidem solveret. Sed non cernitur illa oppositio in his, *sine captivis Romae manere:* neque adiuvamur, sive *pro quibus*, legatur, sive *de quibus ad senatum missus erat.* Quid enim *sine captivis?* Si *redditis captivis* significabit, (quamquam nemo erit, credo, qui sic explicaturus sit) neque oratorie,

neque sic, ut perspicuitati et menti suae responderet, locutus est orator: si erit pro, *non impetrata redditione captivorum*, (et ne hoc quidem Latinum est) non egregie commendavisse Regulum reperietur adversarius, quasi qui fidem servare, quam periurus esse maluisset. Necesse tamen est *captivos* illos intelligere, nobiles, qui Romae servabantur: de his enim permutandis tum agebatur: vid. praeter alios multos, Cic. Offic. III, 26, sq.: nam captivi Romani, qui Karthagine erant, non miserant Regulum. Credo e tritissima traditione et crebra per eam *captivorum* mentione interpolatum esse locum, sic fortasse restituendum: *quam invitis, a quibus ad senatum missus erat.* Sic exsistit perspicua oppositio: Regulus potuit in patriam redire, sed noluit invitis hostibus: tu civitate etiam ipsa invita per vim rediisti. Non cepit hoc postremum Ernestus, ut ex eius annotatione intelligitur.

Multo certior interpolatio est Cap. 60, 128: *quod numquam senatus in universae reipublicae periculo decrevit, id in unius mea salute conservanda decernendum putavit.* Tollendum illud *conservanda*. *In mea salute*, ut mox Cap. 62, 130, et sexcenties, est, quum agebatur de me restituendo. Sic Sex. Rosc. Am. 31, 86, perperam, quantum ex interpunctione iudicare licet, coniungunt

Editores, *in hac enim causa quum viderent*. Imo, *in hac enim causa, quum viderent*, i. e. haec causa si apud eos ageretur, quum viderent—. Mox iteratum *omnia*, ante *horrida*, omnino recipiendum e Voss.

In fine Cap. 61, *Qua gravitate quum frequens senatus nonnullorum scelus audaciamque tardasset, tum illud addidit* —: miror Madvigium p. 498 ideo praetulisse *tamen*, quod *tum*, intelligendum sit *tum demum*. Imo est, praeterea: et exemplum hoc est notissimae coniunctionum relationis, *quum — tum*.

Desperatum quod putaret, credo, locum, non attigit Madvigius ea, quae edi solent Cap. 62, 130, de Metello: *qui excitatus quum summa auctoritate P. Servilii, tum quadam gravitate dicendi*, cet. Est haec lectio Hervagiana: nam optimi Codd. habent, *qui exc. summa cum auctoritate P. Serv. quadam gr. d.* Et ad illius lectionis commendationem excitare solent viri docti tum Orat. post red. in Sen. Cap. 10, tum Prov. Consul. 9, 22. Priorem locum non moror, quippe ipsum ex his corruptis et interpolatis stupide confictum. Alter elegantia nitet Tulliana, ibique proprie et diligenter singula dicuntur. *Auctoritas* v. c. non uni cuidam, sed universo tribuitur senatui. Et sane, si auctoritati cessit Metellus, tam Lentuli collegae, et Pompeii, et Cottae multorumque alio-

rum, quam Servilii cessisset. *Et excitari auctoritate* dicitur quis, ad suscipiendum quid, et ad agendum: ut Phillipp. II, 11, 27; non, ut h. l., ad *collacrimandum*. Porro in Hervag. lectione, *incredib. quadam grav. dic.*, otiosa anticipatio est eorum, quae mox suo loco dicuntur, *illam divinam gravitatem* cet. Igitur, restituta *auctoritate* iis, quorum propria erat, abiectaque intempestiva amplificatione, sic erit locus legendus: *qui excitatus senatus auctoritate, tum P. Servilii quoque gravitate dicendi, quum —.*

Locum Cap. 63, 131 fin. accurate tractavit et correxit Madvigius p. 499 sq.: sed vellem attendisset, in his, *ad urbem accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat*, unum alterumque Cod. omittere *multitudine et*, quae non nisi mera et inepta interpolatio est, quod, quid *gratulatio* esset, non intelligebatur: Cf. Verr. IV, 34, 74.

Cap. 64, 133, ubi de Vatinio agitur, nihil sane ambiguum est in Codd. lectione, sed prava interpunctione labefactatur interpretatio. *Ille se sic cum inimico meo copularat, ut illum meae proscriptionis, quam adiuvabat, Sex. Clodius — tabulam esse, se scriptorem diceret.* Propterea, credo, quod initio singularum enunciationum, per epiphoram, Vatinius indicatur pronomine *ille*,

accusativum quoque, *illum*, eodem referendum esse putarunt. Hinc factum est, ut, quum in Vatinium invehi instituisset Cicero, nunc Sex. Clodio potius maledicat: quippe gravissimum crimen est, si cui obiicitur, scriptorem esse istius proscriptionis. Sed distinguendum est, *illum meae proscriptionis, quam adiuvabat Sex. Clodius, — tabulam esse —:* et *illum* pertinet ad P. Clodium. Igitur non erat, cur Garatonius a reliquis discederet.

Non assentior Madvigio p. 501, in extrema parte eiusdem § duo vocabula delenti. *Qui legem eam contemnat, quae dilucide vetat, gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus sit, dare?* Perfectum (*petierit*,) inquit, vitiosum est, quoniam ea lege definiebatur tempus aliquod rei alicuius non faciendae; et tum perfectum ponitur, si in re improbanda praeteritum tempus lex complectitur, ut *fecit, fecerit.* Concederem, si de *petendo* ipso ageretur, non de *gladiatoribus dandis:* si v. c. scriptum esset, *gladiatores dederit, aut daturus sit.* Atque sic usu venirent ea, quae ipse Cicero animadvertit Verr. I, 42, 108, sq. Sed illud temporis spatium, intra quod gladiatores dare lex vetabat, et eos complectebatur, qui iam petebant, eiusque rei initium fecerant, et eos, qui proximo anno petituri erant, de quibus tum

demum certe iudicari poterat. Quoniam autem nunc legis contemtus Vatinio obiicitur, necessario ex iis erat, non qui petituri erant, sed qui iam petebant. Hinc apte ex legis formula excitatur, *quo quis petierit*, i. e. petendi iam initium fecerit, quod nunc ipsum attingebat Vatinium; et, si quid omittere voluisset, facilius careremus sequentibus, *aut petiturus sit*. Neque obliviscendum est, petitionem non unius temporis aut diei esse actum, sed integri saepe anni negotium: ut perfectum illud aoristi quodammodo vim habeat. Idcirco mihi videntur illa *petierit aut*, non esse delenda.

Sequenti § ea sunt, quae acutissime correxit Madvigius ibid. sqq. Sed ironia, quae incipit a verbis, *familiam gladiatoriam, credo, nactus est* cet., in memoriam revocat similem, in Verr. I, 39, 101: in quo loco Ernestus offendebat, quod initium ironicum, exitus verus et simplex esset. Iure, opinor; neque Zumptio excidisse vellem, sic fere fieri, et non posse vitiosum hoc haberi. Verum ne correctione quidem Ernestina indigemus, modo sic interpungendo ironia ab indignatione separetur: *Homo scilicet aut industria, aut opera probata, — aut denique — assiduitate! Qui ante quaesturam* cet.

Rectissime Lambinus in his, Cap. 34, 135, *quem non tam admiror, quod meam legem contemnit,*

quam quod se statuit omnino consularem legem nullam putare, animadvertit *se statuit putare*, Latinum non esse: igitur Madvigius quoque p. 503 in deleto pronomine *se* acquiescit. Sed aptius, puto, corrigetur et contrahetur utrumque, ut fiat *sustinuit*, i. e. ausus est, quod cum Infinitivo iungitur quoque Verr. I, 4, 10, omninoque proprie in impudentia dicitur, quae hic spectatur, sicut ad Div. V, 10, 2.

Ingreditur iam perorationem, cuius exordium ducit a commonefacienda et exhortanda iuventute. Cap. 65, 137, *haec est una via, mihi credite, et laudis, et dignitatis, et honoris: a bonis viris, sapientibus, et bene a natura constitutis, laudari et diligi.* Voss. recte omittit *et* ante *laudis:* neque enim diiunguntur haec, sed coniunguntur: tum in eodem rectius, *bonis viris et sapientibus.* Sed extremae parti huius luculentissimae descriptionis civitatis Romanae, ex levi mendo aliquid praeposterum adhaesit. Quum dixisset quem locum in re publica teneret senatus, magistratusque quasi ministros huius gravissimi consilii esse, subiicit, non amplius quis aut qualis esset senatus, sed quid *ipsum* facere et praestare oporteret. Sed hoc obliteratum est in hac vulgata scriptura: *senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore confirmari, plebis liberta-*

tem et commoda tueri atque augere voluerunt. Statim offendit, quod una sententiae comprehensione activum et passivum iunguntur. Sed quid illud tandem ipsum est, *senatum confirmari prox. ordinum splendore?* Non sane, proximis ordinibus aditum esse in senatum: quum modo dixerit, *aditum omnium industriae et virtuti patere.* Neque eius, qui senatum sempiternum rei publicae consilium, ceteraque, appellaverit, est putare hunc summum ordinem niti oportere aliorum splendore. Corrigendum est, *splendorem confirmare.* Eodem vitio in altero verbo laborat Voss., qui habet *augeri.* Quid ipse egerit in consulatu, sic dicit in Pison. 3, 7: *ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu coniunxerim.* Cf. Cluent. 55, 152, sq. *Boni viri et sapientes* quod dicitur, in mentem revocat, Cluent. 58, 159 perperam dici, *illud est hominis magni, atque sapientis:* pro quo legendum est, *animi magni*, quemadmodum in Sextiana correxi supra p. 111.

Haec omnia defendere quum magnum et laboriosum esse praedicavisset, sed sermonem sibi esse cum virtute, non cum desidia; ita pergit Cap. 66, 138: *nam, si qui voluptatibus ducuntur, — missos faciant honores; ne attingant rem publicam; patiantur virorum fortium labore se*

otio suo perfrui. Ab hac Hervagiana lectione discedunt permulti Codices, qui fere sic exhibent: *patiantur viros laborum patientes frui*, aut *viros fortes* —. Sed Garatonius illam sic interpretatur: »contenti sint otio suo se perfrui per »laborem virorum fortium." Primum non puto unquam quemquam tam perplexe hoc enuntiaturum fuisse: deinde, talem fuisse Ciceronis mentem perquam dubito. Ut in illis, *missos faciant, ne attingant*, ita in hoc, *patiantur*, eiusmodi quid requiritur, quod aliis concedere otiosi ac desides dicantur. Neque *patior me otio frui* cuiquam probari poterit: longeque diversum est, *aliis permittere otium suum*, Republ. I, 34. Credo veram Ciceronis manum esse, *patiantur viros fortes laboribus perfungi.* Nam id demum sententiae acumen est, quum hoc ipsum, quod aliis concedere isti dicuntur, grave et molestum est.

In seq. § 139, rursus meliorem ordinem verborum repraesentat Voss.: *qui horum impetus represserunt et conatus.* Proprie magis verbum cum illo substantivo iungitur. Mox legere praestat, *hi graves, hi principes, hi duces, hi auctores*, pro vulg. *ii.* Et hanc trium nominum coniunctionem qui attendat perquam usitatam esse Ciceroni, mirari oportet quid Zumptio in mentem venerit, ut in Verr. I, 33, 85, *principes* adiectivum habeat,

referendum ad *duces* et *auctores*. Sed in extremis eiusdem sententiae verbis, — *hi auctores huius ordinis, et dignitatis atque imperii semper habiti sunt*, non video cur corruptelam inesse velint viri docti. *Dignitas* et *imperium* recte sic iunguntur; ut in fine Cap. 67, *dignitas* tribuitur *rei publicae*. Conf. Philipp. III, 5, 13.

Madvigii doctrina, p. 504 de usu Coniunctivi post *qui quidem*, valet tantum in certo genere enuntiandi, non universe. Editur nimirum e Codd. Cap. 67, 140: *unus in hac civitate, quem quidem ego possum dicere, praeclare vir de re publica meritus, L. Opimius, indignissime concidit.* Requiri putat vir praestantissimus *possim*, » quod » per pronomen relativum, addita partic. *quidem*, » notio indefinita generalis ad certum genus ad- » stringatur." Sed non cepisse videtur praesentem locum ex altero potius genere esse, quum certa notio, adhibita sententia relativa, completur. Prior illa structurae ratio tum obtinet, quum simul cogitanda est exclusio aliorum; ut in illo, *quae concio fuit, quae quidem esset non conducta?* Nam cogitando supplemus, *etenim conductae multae fuere*. Sic si dixisset, *unus est Opimius, quem quidem meminerim:* nam alii multi me latere possunt: ex hac ratione, si *possim* scripsisset Cicero, supplendum esset, nam multi praeterea fuerunt,

sed quos dicere non possum. Quo quid ineptius excogitari potest? Non adstringit haec syntaxis notionem indefinitam, sed ipsa modum accipit et formam, collocatione verborum. Dicere licebat: *unum possum dicere Opimium indignissime concidisse:* maluit: *unus, quem quidem ego possum dicere, indign. concidit.* Et tamen Indicativus est in illa restringendi forma, Milon. 1, 3: *reliqua vero multitudo, quae quidem est civium.*

Eiusdem Cap. § 141 legitur: *si postea summi eiusdem civitatis viri, quos nominatim appellari non est necesse, propositis tot exemplis iracundiae levitatisque popularis, tamen suam rem publicam illam defenderunt.* Quid velit hic *illam*, plane non assequor. Sed corrigendum est *illi:* et de hac abundantia post relativum *qui*, recte monuit Madvigius p. 468 in alio loco, Cap. 32, 69. Qui, quod p. 506 in fine huius Capitis, pro *non aliud*, legi iubet *maius*, laudo, nec tamen reticeo mihi dudum visum esse, *melius* legi oportere.

De Cap. 68, 143 non assentior Madvigio ibid. *Neque hanc opinionem si in illo sanctissimo Hercule consecratam videmus, cuius corpore ambusto vitam eius et virtutem immortalitas excepisse dicitur, minus existimemus eos*, cet. Praefert *dicatur*. Sed si vel in alio genere disputandi ferretur, minime est huius ornatus et splendoris,

qualem in hac peroratione sequitur Cicero, demonstrare et arguere et dictorum rationes explicare. Nihil sunt illa praeter nobilissimae traditionis repetitam memoriam. Similem ob causam mox Indicativi reponendi sunt, *auxerunt, defenderunt, servarunt:* et sic plane Cod. Leid. et Voss. Contra, Voss. Cap. 13, 31, vitiose habet *vexarint*, reliquis omnibus verum servantibus.

Extremus nobis sit hic locus § 146. Quum enim dixisset, *pertuli crudelitatem inimicorum, scelus infidelium, fraudem invidorum*, subiungit haec: *Si hoc non est satis, quod haec omnia deleta videntur reditu meo: multo mihi — praestat in eandem illam recidere fortunam.*— Nemo explicuit, quae essent *haec omnia*, quae *deleta videri reditu suo* dicit orator, et quod *non satis si esset*, iterum discedere mavult. Sed, si attendissent *haec omnia* non alio pertinere, nisi ad illa quae modo memoraverat, *crudelitatem inimicorum*, cet., vidissent, credo, non propterea iterum discedere velle Ciceronem, *quod* haec omnia deleta viderentur reditu suo: sic enim in civitate manere et dulcius et utilius fuisset. Sed corrigendum est *neque haec omnia.* — Si non est satis, inquit, quod tum pertuli crudelitatem cet., eademque, quae tunc me eiecerunt, manent, nec deleta sunt reditu meo; praestat iterum in exsilium abire.

VIII.

Collationes Codicum Leidensium ad Sextianam ex edit. Orellii.

1.

Cod. Voss. fol. N°. 88. ex Bibliotheca Melchis. Thevenot. Chartaceus, recens et male scriptus: continet Orationes has: pro Lege Manil., pro Marcell., Milon., Ligar., Deiotar., Arch., Rosc. Amer., ad Equit. Ro. antequam iret in exsil., ad Senat. post red., Muren., in Vatin., de arusp. resp., pro domo, de Petit. Consul., (iterum) in Vatin., pro Coel., Balb., Provinc. Consul., Sext., Pison., Leg. Agrar. I, II, III, Rabir. Post., Rabir. Perduell., Caecin. — Collatus ad Orell. Edit. maiorem.

1, **1.** et hoc tempore miretur
fortem (civem)
(voluntarios)
2. sed si per vos vobis
per optimos viros optimis viris
arbitrentur

putavi
2, 3. viro clar.
4. (susceptus)
gerendum sibi
5. (in) ruinis
(P.) Sextii tribunatus
tantis summis
excitatae sunt
3, 6. uti non tam voluit
et sapientissimi viri C. Albini
Ducibus gravissimae antiq.
7. calamitosi viri summi filiam
in hac
(et) omnibus grata quidem et Mass.
videret
affectu complexuque
meroris (sui)
solicitudinem
8. (C.) Antonii
consiliorum mei
(nihil dico — voluisse)
ac moderando
(vere)
esse P. Sexttii
(et) illi
4, 9. et ex tenebris
et ab illa impia
caput praecipitem
(hominem perditum — curavit)
(qui propter — adoptavit)
fidem hominis (nomine — viri) beneficiumque
testimonio declarant periculum deprec. suo decr.
10. effecta
hospitii pudici

11. (urbem — extraxissent) ego literas cum Capua
(cum illo — habebat) quibus lectis ad urbem
(advolavit — summa est celeritate)
5, 12. (homini — metuenti)
(si M. Petr. — extitisset neque) nisi adiutor rei
pu. Sextius ad excitandum ad cohort. Ant.
fuisset, datus
(esset hiemi locus)
(atque aestat. — coepisset)
(ac sine — miserrima)
13. attulit ad tribun.
(et aliquando — veniam)
6, ad id iam dudum
contendentes studio
14. (de quo quidem — sed tamen) qui tribunatus
quoniam nihil aliud nisi nomen meum
scelere violatus essem et furore vocis
efferunt insectantur
15. (sed necesse — salutis inimici) Cn. Pompeius
7, hunc tribunum mihi vir utique clarissimus
omni cautionum foedere execrationem
arbitratus est
ipsum evictiorem periculi suis
16. (hanc tetram — trib. pl. felix) in evert. re p.
felix fuit
in eius vita
sororis stupri hominum inaud.
17. profecto in illa re p. fortuna facilis
hoccine (ut) ego nomine appellem
bonorum eius et qui ad delendum
arbitrantur
in ista re p. vultis record.
eorum facta occurrerent
8, 18. putealis et feneratoribus greg.

(atque perculsus — perfugerat)
(minitabatur — arbitrabatur)
19. aliquem (te)
ac nostra purp.
(ut Capua — dicam) ut iam hominibus videretur
frontis contractio (ut illo — videretur)
20. vultus medius fid.
omnes praecipue
9, et fluctibus
arbitretur
cum his praeter spem
21. (in omnes partes)
(semper).
(quia utile — mortuorum) et quia eum tristem
subhorridum esse atque
familiae nobilitas videretur
22. Nec enim hominem et levem
in obducta ita
10, accesserat
23. (cuius et quo — non oportere) aiebat nihil esse praestabilius
et plena conferta
24. dicebant. Ex his assiduis
(in) interiore
nugis expetendum
debili dedecoris
et fervoribus vulnerari
ac exsanguibus
neminem pungere (umquam)
trucidarunt
(foedus fecerunt — 25. auxilium arbitrabantur)
11, 25. hi duo soli fuerunt praeter
flagitabantur

(denique — referrent)

26. (quum incredibilis — memoriam consulatus mei) senatus et universus ordo flens consulatus mei causa cincinnatum

et labes

(clarissimorum civium)

ut me ipsum

omnes boni veste mutata, vos inquam pro meo

latronis impur.

(cum vestris — censuit)

12, 27. et rei publ.

(quae quidem tum — facta vestis) in tanto luctu civ.

(qui adesse — debuit)

28. (errare homines — 30. libertatemque pervertere)

13, 31. (iudices) tamen vereor

aut tam alte

vexarint

hic propositum est

illis vulneribus

dicere videor

vim si tribunatus in salute mea

14, 32. veste mutata

de mea salute decrev.

quis umquam (consul)

parum (ne) est

optima consilia contemn.

suam meam

hunc solum dolorem

vestis mutatione ad luctum

33. (Quid? sua — non licebit)

nemo (est)

non putet

(pacto — dixerat)

sententia sua decreverunt
15, (Iisdem — 34. inspectantibus) ut servorum de-
34. lectus haberetur
(nomine collegiorum) ut iudicaturi homines scriberentur denunciarentur ad vim ad manus ad pedem ad dirept.
(Iisdem — promissis tenebat)
35. nullo duces
a consule
et periculo
non silent. cons. non dissimul.
sed (et) voce
(iam) captam
tandem hic tantis
16, 36. nec huic tantae
(mea) memoria
(Nam, si ego — 38 susceperant)
38. meam sing. gloriam
communem salut.
gentium omnium
(ea conditione — deberent)
17, exercitus
conscriptos addixerat
39. erat res
(qui quod — persequebatur)
locuplete
(cum) latrone
(id) quod facile factum fuit
(et quod — flagitabant)
(aut) vim vi
(aut perditorum — maereret)
(quocum — necessitudines)
40. (ex quibus — esse dicebat)
et disceptationem

imperatores exercitus
18, (Illi autem — 41 praefecerat)
19, 42. duces publici consilii
per eos
formidolose (tamen)
(conciones)
et pro romano populo neminem
(intenta — putari tamen)
importunam manum
43. hoc quum viderem, quid agerem? laudarem? scio enim
(vestro)
eiecissent improbos
consilio publico professus
cum quid in concione
esset vincendum
(quum) decertassem
dimicassem
44. (ego vero — imposuisset)
(erat enim — tenere possemus)
bonis (viris)
credo consules
ne vestitum quidem defendissent rei p. a tribuno pl.
(meum)
qui tandem hora
20, 45. pugna appetisses
penates dii patriique
fugissem
dedissent
hostibus tradere
potius ipse me
46. (quum proscriptio — deposcerent)
omnibus instaret susciperem ac sub.

21, 47. (Victi — verturam fuisse)
(mihi) magis opt. putaremur
(non haec — canebantur)
tum eram rudis
mors omnibus definita
debetur
Cap. 13, 31, omni dubio caret legendum esse, *unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus his mensibus — anteponis:* non *iis mensibus:* intelligit enim postremos menses, quos illo pronomine indicari solere notum est: et sic Voss. Statim haec sequuntur: *quae fuit oratio de concordia! quanto metu veterani, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est!* In quibus recte Madvigius p. 203 not. 1 sensit *vete-*

ranis locum nullum esse posse. Neque tamen ea est constans librorum lectio: ecce enim, Voss. uterque affert *cetera*, sed pariter vitiosum; frustraque Graevius inde *ceteri* commendat. Neque enim, ut mox *populo Romano* recte praemittitur *senatus*, quidquam praemitti potest *civitati*. Nihil melius occurrit, quam ut legatur *quanto metu incerta*, *quanta sollic.*, i. e. suspensa, civitas.

Leniter corrigendum est in Philipp. II, 3, 5, ubi sic legitur: *malui me tibi debere confiteri, quam cuiquam minus prudenti non satis gratus videri.* Apparet, illud se maluisse dicere Ciceronem, quod tamen per se grave ac molestum esset: sed quid eo pertinet, utrum, cui debeas, prudentior, an minus sit? Legendum, *pudenti.* Obiicere istud beneficium summae erat impudentiae, quam perpetuo in Antonio exagitat orator: conf. Philipp. III, 11, 28. Mox non spernendum, quod unus praebet Voss., *quo me* (pro *quod me*) *Brundisii non occideris?*

Exigua varietas ibid. 4, 8, poterat de vera Ciceronis manu admonere. De Tamisio et Tirone Numisio, Antonii asseclis, sic dicitur: *qui quum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus.* Orell. ex Ven. memorat *ipsumo.* Voss. exhibet: *qui cum hic isto tempore—.* Nempe legendum est, *qui quum hic ipsum stent —.* Oratio ad praesentem conspectum composita est: et, *hoc tem-*

pore, nimis late patet pro re. Infra, Cap. 8, 19, melius altera formula locum suum tenet, quippe universe opponitur temporibus consulatus Ciceronis.

Nullus Editorum offendit in his, Cap. 4, 9: *quibus petis, — adiurasque, id te, invito me, non esse facturum, idque a me impetras.* Aut egregie fallor, aut legendum est: — *non esse facturum: idque a me impetrasti: quid enim me interponerem* cet. Quae postrema minus recte, in vulgata distinctione, ad ipsam Antonii petitionem referuntur.

Ineptam male seduli correctoris lectionem exhibuit Orellius Cap. 6, 13: *sed quoniam illis — res publica orbata est, veniamus ad vivos, qui duo — reliquì sunt.* Tam bene dixisset, *ad vivos — qui vivunt.* Restituenda est tum aliorum librorum, tum Voss. lectio *ad eos.*

Auscultandum fuerat Ernesto, cui in his verbis Cap. 9, 21: *prius enim rem transegit, quam quisquam eum facturum id suspicaretur*, displicebat *id:* et iure. Sic infra Cap. 11, 27: *quem ego magis fecisse illam rem sum admiratus, quam facturum putavi.* Conf. supra ad Phil. I, 6, 13.

Ut multa acutissime primus sensit Ernestus, quorum non satis ratio haberi solet, ita Cap. 11, 26, summo iure haesit. *Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis au-*

ctoribus, *Brutos ego impellerem —?* E duobus modis, quorum alterutro sanari voluit locum vir praestantissimus, melior sane is habendus est, quo *illis auctoribus* delebat. Sed leviori medicina utamur. Apparet totam disputationem eo pertinere, ut ostendat Brutum reliquosque non desideravisse, ad praeclarum facinus suscipiendum, alios auctores, sed sua ipsos virtute et caritate patriae ductos Caesarem interfecisse. Itaque hoc dicit; *si auctores — desiderarentur illis actoribus*, i. e. ita ut consilium aliunde ortum, ab illis tantum perficeretur. Post vidi idem placuisse iam Madvigio Opusc. Acad. p. 165. Sed spero non ingratum fore viro praestantissimo meum consensum.

Haud ita multo infra, § 27, accidit ut intempestiva interpolatio corruperit solemnis clausulae Ciceronianae elegantiam. Enumeratis e modo memorata disputatione praecipuis coniuratis, subiicit: *longum est persequi ceteros: idque rei publicae praeclarum, fuisse tam multos, ipsis gloriosum.* Apage ista, *fuisse tam multos:* intelligebatur satis e praecedd. *longum est pers.* cet., id quod aptius erat, de ceteris quoque similia posse memorari. Vel una Sextiana haud paucis exemplis docebit, in talibus nihil ad explicandum interponi.

Qua vocula saepe liberanda est Ciceronis oratio, (conf. Inttpp. ad Nat. Deor. I, 22, init.) eadem

interpolatio obsedit hunc locum Cap. 17, 42: *Et vero adhibes ioci causa magistrum, suffragio tuo et compotorum tuorum, rhetorem —.* Nempe requirit sententia *ioci magistrum:* tum delendum est *rhetorem.*

Sed alia sunt, quae miror a nemine animadversa esse, itaque corrupta propagari. Veluti, quum in senatu questus esset Antonius amicitiam a Cicerone violatam esse, et in beneficiis, quae hic sibi deberet, memoravisset etiam hoc, quod eum Brundisiis, quum potuisset, non interfecisset: de quo genere beneficii respondet Cicero Cap. 3 init., et tamen *prae se tulisse* dicit: redit eodem Cap. 24, 59 sq., iterumque concedens fuisse hoc beneficium, amicitiam scilicet violatam sic defendit: *licuitne mihi per tuas contumelias hoc tuum beneficium sic tueri, ut tuebar, praesertim quum te haec auditurum videres?* Sensus est: tuebar ego istud tuum beneficium, servavi amicitiam: sed licuitne mihi, i. e. potui hoc facere? nonne oportuit renunciare tibi amicitiam propter contumelias, quas simul tum in me conferebas? Cuius rei nunc praecipuam explicat rationem, *praesertim — videres.* Sed quomodo id, quod Ciceronem facere oporteret, ex eo regi poterat quod Antonius visurus esset? Corrigendum est *viderem.* Quum viderem aliter fieri non posse, nisi ut haec, omnia tua flagi-

tia, tibi in senatu obiicerem et exprobarem, posteaquam semel rem publicam evertere coepisses, non decebat certe me eidem amicum me profiteri, gratumque videri, in quem tam acriter invecturum me esse viderem. Quid sit *audire*, exemplo iam est locus superior, Cap. 19, 47.

Obiter moneo, Cap. 10, 24, in eodem verbo personam mutandam esse: *atque idem ego, quum iam opes omnes et suas, et populi Romani, Pompeius ad Caesarem detulisset, seroque ea sentire coepisset, quae ego multo ante provideram, inferrique patriae bellum nefarium viderem:* imo *videret*. Pompeii erat *videre* tunc demum, quae Cicero fore *providerat*.

Paulo post § 61, pro *municipiorum*, vel *municipum*, vel, quod magis placet, *municipii* legendum est. Unum intelligitur Brundisium.

Quod in Sextiana semel feci, iterum hic erant monendi auditores, ne cuncta sic in Cicerone admirarentur, tamquam nihil esset, quod reprehendi oporteret. Nam, quum § 62 memorasset Antonium *magistrum equitum*, beneficio amicorum, fuisse constitutum, subiiceretque, *Tum existimavit se suo iure cum Hippia vivere*, (qui unus erat de mimis, quibus familiaribus utebatur) nemo non, opinor, sentit frigidum lusum in origine nominis *Hippiae*, ad magistrum equitum relata.

In sequenti Cap. 26, 64 mentio fit hastae positae a Caesare, bonorumque Pompeii proscriptorum, unumque Antonium fuisse qui ad illam sectionem accedere auderet: sed populum Romanum ingemuisse. *Una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit, servientibusque animis, quum omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi Romani liber fuit.* De Codd. lectione non nisi ex Orellii annotatione intelligere possum: nempe verba *quum — tenerentur*, e Cod. Vatic. recepta esse, ceteros omittere fere: et habere sane glossae speciem, addit Orellius: quodque magis miror, his deletis, vulgatum brevius et acutius esse iudicat Ernestus. Igitur oppositio quaedam erit: animi serviebant, gemitus liber erat. Sed, qualis animus dicitur servire? nullus, nisi abiectus, quique sensum turpitudinis et flagitiorum in regnante omnem deposuit. Non talis animi erat ingemiscere in illa proscriptione: multoque minus obliviscitur servitutis, si ea animi ipsius est, non conditionis et necessitatis. Neque solet ita describere istiusmodi temporum servitutem Cicero, ut dicat animos serviisse; sed, perstringendae adeo dominationis caussa, libertatem constrictam esse metu, vi, armis, terrore. Accidit hic, quod semel iterumque in Sextiana ostendi et ostenderunt alii, veluti in Cap. 50, 107, ut interpolatio expelleret ipsa Ciceronis ver-

ba, quae tamen in Cod. Vatic. servata sunt. Delenda censeo *servientibusque animis:* legendumque *quumque omnia —:* quamquam molestum est ita discedere a Madvigii iudicio Opusc. p. 148.

Statim post de Antonio hoc dicitur: *qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo, praeter Antonium, praesertim quum tot essent circum hastam illam, qui alia omnia auderent.* Satis perspicue et acerbe haec dicta sunt. Nihilominus haec subiunguntur: *unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugisset et reformidasset audacia.* Qui tam ineptam tautologiam in Cicerone ferendam putat, is suo fruatur iudicio. Equidem agnosco annotatoris paraphrasin.

Et quoniam hoc genus interpolandi attigimus, notemus quoque Cap. 38, 99, ubi contumeliae in Antoniam enumerantur: *filiam eius, sororem tuam, eiecisti, alia conditione quaesita et ante prospecta* (sic optime Graev.) *Non est satis —. Probri insimulasti pudicissimam feminam. Quid est, quod addi possit? Contentus eo non fuisti.* Extrema haec verba, quae corrumpunt etiam incisorum concinnitatem, delenda sunt.

Madvigiana in Philippicas sero a me, quod doleo, cognita percurrens, incido in coniecturam viri egregii, qua Cap. 33, 82 huius Philipp. II, sanari oportere existimat. Verba haec sunt. *Ecce*

Dolabellae comitiorum dies. Sortitio praerogativae. Quiescit. Renunciatur. Tacet. Prima classis vocatur. Renunciatur: deinde, ut assolet, suffragia. Tum secunda classis. Torserunt haec Interpretes. Madvigius verbis illis, *deinde — suffragia*, significari putat suffragiorum primae classis centuriae praerogativae diribitionem et numerationem: et ante eam certe nullam fuisse renunciationem: itaque male repetitum esse vocabulum *renunciatur*. Apparet intelligere Madvigium de suffragii renunciatione; quae sane ante lata suffragia fieri non poterat. Sed quo modo tum defendit prius *renunciatur*, nulla facta mentione suffragiorum? Credo in illo Caesaris regno, qui Antonium *consulem renunciari iusserat*, (Cap. 32,79) quique *se Dolabellam consulem esse iussurum* dixerat (ibid. 80), solitum fuisse ut in comitiis prius magistratus, is quem vellet, renunciaretur, post, dicis causa, suffragia inirent classes et centuriae: et hunc turpem abusum significari puto verbis, *ut assolet*, quae formula, si nihil nisi communem et legitimum comitiorum ordinem significaret, tam poterat prioribus, quam hic interponi. Caesaris hunc morem tangit quoque Asinius Pollio in Epp. ad Div. X, 32, 2, de Balbo quaestore: *haec quoque fecit — eadem quae C. Caesar; — comitia — habuit, hoc est, renunciavit, quos ei visum est.*

Nullam causam video delendi alterius illius *renunciatur*. Verr. II, 51, 127: *perfecerat iste imperio, ut pro suffragio Theomnastus — in tribus illis renunciaretur*. De quo loco hoc obiter notandum, *tria genera* e quibus creari solerent isti sacerdotes, neque de civium ordinibus, neque, ut Zumptius putat, de tribus urbis partibus intelligendum: sed de tribus familiis (γένη) quarum proprium et perpetuum erat istud sacerdotium: ne forte quis putet respici genera *aratorum, mercatorum, naviculariorum*, quae ibid. cap. 55, 137 memorantur: in quo discrimine *ordinis* quoque vocabulum ponitur, Cap. 61, 149: cuius fortasse non meminerat Zumptius.

Cap. 9, 22 haec dicuntur in ea disputatione, qua dissolvit Cicero crimen, quasi suo consilio Clodius interfectus esset: *quamquam de morte P. Clodii fuit quaestio non satis prudenter illa quidem constituta. Quid enim attinebat nova lege quaeri de eo, qui hominem occidisset, quum esset legibus quaestio constituta? Quaesitum est tamen. Quod igitur, quum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post tu es inventus qui diceres?* Primum non satis diligenti interpunctione corrumpunt Editores argumentationem. Quid enim ad rem pertinet, utrum nova quaestio de Clodi caede esset constituta nec ne? Sic disputat, ut absolvat illud, quod refutare instituerat: postremo,

quaestio fuit de morte Clodii, et tunc nemo memoravit illud, meo consilio eum interfectum esse. Sed, de *nova* quaestione interponitur, inde a verbis *non satis:* rediturque ad propositum, verbis *quaesitum est tamen.* Quod autem nunc spectabam, hoc est, in verbis, *quum esset legibus quaestio constituta,* delendum esse postremum hoc participium, quod proprium est novae quaestionis, eoque loco recte dicebatur. *Legibus*, aut *lege quaestio est*, tam recte dicitur, quam *lege iudicium* infra Cap. 23, 56: et satis, quod intelligo, defenditur alia disputatione in eadem re, Milon. 5, 13, 6. init. Conf. de eadem interpolatione tollenda Zumptius ad Verr. V, 2, 4.

Versamur in minutis corrigendis: itaque ne hoc quidem omittendum est. Cap. 34, 85, ubi de diademate Caesari per Antonium imposito agitur, haec subdit orator: *tu ergo unus, scelerate, inventus es, qui quum auctor regni esses, eum, quem collegam habebas, dominum habere velles.* Merito superiores iam Gruteri lectionem, *collegam regni*, repudiarunt. Sed, quum Ernestus recte attendisset, »quum diademate imponendo »auctor esse vellet, nondum fuisse regnum," mirum est eum reliqua non attendisse, in quibus hoc tamen dicitur: *quum auctor regni esses, Caesarem dominum habere voluisti, quem habebas collegam.* Verum aliud restat prorsus ineptum.

Omissis iis, quae interponuntur, reliquorum haec sententia est: reliqui omnes improbarunt, Caesar etiam reiecit diadema: tu unus fuisti, qui collegam dominum habere velles! Absurda oppositio: quasi praeter Antonium quisquam alius esset, in quem hoc caderet, *ut collegam dominum habere velle* posset! Contra, haec opponere voluit orator: reliqui omnes repudiarunt regnum, tu unus regni auctor fuisti. Correctione, quam fere nullam dicas, restituendum: *tu ergo unus — inventus es, qui quum regni auctor esses, tum, quem collegam habebas, dominum habere velles.* Postremo hoc adiecto augetur stultitiae crimen.

Sed ubi sequentia, quae omnia pertinent ad exagitandam istius diadematis impositi turpitudinem et adulationem, consideramus, loco non suo posita esse haec verba apparet, § 86: *o praeclaram illam eloquentiam tuam, quum es nudus concionatus!* Haec, per irrisionem dicta, interponuntur mediis illis, in quibus summa severitas et indignatio cernuntur. Revocanda esse arbitror in ipsum huius capitis initium, ut excipiant illa: *ne — M. Antonii rem unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus.* Et certe concio eius antecessit illam diadematis impositi turpitudinem.

X.

Antiphontea et Andocidea.

Antiquitatum Graecarum, quae vocari solent, disciplinam tradens malueram hucusque singulos quosdam locos eligere, modo hunc, modo alium, in quibus diligentius persequendis exemplum proponerem auditoribus accuratae interpretationis, tum auctoritatis in quoque scriptore rite ponderandae, i. e. eorum ipsorum quae haud raro in aliis desiderarem; malueram igitur sic facere, quam cuncta complectens gravissima quaeque et impeditissima leviter percurrere. Sic enim sperabam fore, ut ipsi doctissimorum virorum scripta, quae commendare non desinebam, evolventes studiose in singula inquirere, nihilque accipere discerent, nisi

quod eo, quo praeivissem, modo explorassent. Non poenitebat me quidem huius moris et rationis: sed, quum saepe intellexissem ignaros sic tamen multos manere ipsorum morum, quibus Athenienses (ut de his praecipue dicam) in vita usi essent, multoque melius talia cognosci posse, si privatorum veras controversias de rebus non minus privatis quam publicis exploraremus, institui nuper ut Oratorum volumina hoc uno consilio percurrerem, et in singulis causis, quae agerentur, ostenderem qui mores, quae instituta, quae opiniones, quae leges valuissent, itaque in verae vitae tamquam scenam introducerem discipulos. Nam, ut alia omittam quibus hoc disputandi genus commendari existimabam, hoc certe boni inde oriturum sperabam, ne, quod nimium saepe fieri solet, quae in una re aut causa aut tempore dicuntur, ad omnia traherentur, confusis temporibus, et vivendi generibus: tum excitaturum me plures, ut ipsam etiam bene dicendi laudem non in una tantum alteraque Demosthenis aut Aeschinis oratione cognoscerent, sed ingeniorum varietatem in omnibus, quae superessent, illius virtutis monumentis persequerentur. Atque hoc docendi munere quo modo functus sim, nunc explicare non attinet. Sed natae sunt hinc subitae quaedam annotationes, quae cum rerum aut saepe quoque verborum interpre-

tatione essent coniunctae; quod genus postremum temere facere arbitror, qui ex ulla parte disciplinae literarum excludat. Hinc igitur nunc paucula delibabo, si qua forte in iis reperiant viri docti, quae haud inepte moneri videantur.

Ordiamur ab Antiphonte. In Accusatione Veneficii p. 5. § 7 Bekk.=608. R. neminem offendisse videntur haec: *πῶς οὖν περὶ τούτων, ὦ δικάζοντες, αὐτὸν εἰκὸς εἰδέναι, ὧν γε τὴν ἀλήθειαν οὐκ εἴληφε;* Vellem mihi exemplum ostendi huius formulae, qua iudices alloquens utitur orator, *ὦ δικάζοντες*. Antiphon certe tum raro omnino ulla formula utitur, tum non nisi his, *ὦ ἄνδρες*, *ὦ ἄνδρες δικασταί*, aut *ὦ ἄνδρες πολῖται*. Semel Tetralog. B. *γ*. p. 32, § 3=607. R. *ὦ ἄνδρες ἀνοσίων ἔργων τιμωροί*. Sed tum erat huic ornatui et gravitati locus; hic nullus est, et quaevis formula otiosa in primis et non ferenda. Videri possit latere verbum *εἰκάζειν*. Antiphon. *π. τ. χορευτ.* p. 85. § 18=773. R. *εἰκάζοντας μᾶλλον ἢ σάφα εἰδότας ψηφίζεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων*. Aeschin. Contr. Ctesiph. p. 584 init. R. *λέγειν ἔφη οὐκ εἰκάζων, ἀλλ' ἀκριβῶς εἰδώς*. Sed praestabit, opinor, corrigere, pro *ὦ δικάζοντες αὐτόν*, *αὐτοσχεδιάζοντα*, i. e. temere et suo Marte facta fingentem. Neque omnino de hac verbi potestate dubitabitur post Valesium in Notas Maussac. ad Harpocrat. p. 225 sq. et Piers. ad Moer. p. 46.

sq. Demosth. qui dicitur Amator. p. 1414. 11. R: et apud Platon. Euthyphr. p. 5. A. αὐτοσχεδιάζειν opponitur τῷ ἀκριβῶς εἰδέναι.

In iis, quae paullo post sequuntur, ibid. § 9=ibid. R. τοῦτο μὲν γὰρ ἠθελήσαμεν τὰ τούτων ἀνδράποδα βασανίσαι κ.τ.λ., non assentior Bekkero e suis Codd. sic mutanti vulgatam, τοῦτο μὲν ἠθέλησα μετὰ τούτων ἀνδράποδα —. Plurale certe in verbo prorsus alienum est ab huius causae more: nam longe diversum est, quod p. 10, § 26 ponitur, ἡμῶν τὸν πατέρα· neque negligendum erat, id quod Reiskius animadverterat, τοῦτο μὲν non habere quod sibi in proximis respondeat. Igitur potius erat sic legere: τοῦτο γὰρ ἠθέλησα μὲν τὰ τούτων ἀνδ., quibus respondet in seqq., βασανιστὰς δὲ αὐτοὺς τούτους ἐκέλευον—. Μὲν γὰρ ex διττογραφίᾳ ortum.

Aliquanto inferius, p. 8, §18=614. R., narratur de epulis et sacrificio, quod Philoneus Piraeei Iovi Ctesio, una cum amico, celebrabat: (de quo Ctesio Iove videndus est Schoemannus ad Isaeum de Ciron. Heredit. § 16., corrigendusque Meursii error hoc Antiphontis loco abutentis in Commentar. de Piraeeo Cap. VII. fin.) Igitur postquam coenassent, σπονδάς τ' ἐποιοῦντο καὶ λιβανωτὸν ὑπὲρ αὐτῶν ἐπετίθεσαν· non puto Reiskium recte defendere ὑπὲρ αὐτῶν, ut sit, pro se uterque thura spargebat. Hoc si intellexisset orator, in promtu erat εὔχεσθαι

ὑπὲρ αὑτοῦ· alterum illud dici solere non arbitror. Non mutavit Bekkerus. Nihilominus verum iudico ὑπὲρ αὐτῶν, i. e. super ipso sacrificio thus imponebant. Pariter σπένδειν, et λιβανωτὸν ἐπιτιθέναι iunguntur in Aristoph. Nub. 425. Herm.

Rectius Bekkerus aliam ipsius Reiskii coniecturam repudiavit, quamquam memoranda fuerat. In eadem narratione sic paulo post dicitur § 20=615 R.: καὶ ἐκεῖνοι ἐπειδὴ ἀπέσπεισαν, τὸν ἑαυτῶν φονέα μεταχειριζόμενοι ἐκπίνουσιν ὑστάτην πόσιν. Accipit R. ita, quasi pellicem, quae venenum infudisset, amplexarentur alternis et oscularentur isti: unde τὴν φονέα legi volebat, oblitus supra quoque p. 6. § 11 oratorem dixisse τοῦ πατρὸς τὸν φονέα. Sed manifesto loquitur orator de poculo amplexando, idque ipsum, quippe ignaris illis venenum continebat, eorum φονεὺς dicitur: neque attendit suum utrique peculiare fuisse poculum. Cicero, de veneno, quod quis imprudens exhauserat, *poculum morti* dicit esse, Cluent. 11, 31. Et φονεὺς dici in rebus inanimatis, veluti in gladio, exemplo est Sophocles Aiac. 1005. Herm.: aliaque exempla nota sunt doctis.

In oratione De Caede Herodis reus, cui haec oratio scripta est, invehitur in primis in actorem, quod quum κακοῦργος ἐνδεδειγμένος esset, revera nunc caedis causam diceret, quod crimen persequi actori non nisi iis servatis liceret, quae in caedis iudiciis,

nempe in Areopago, praescripta essent. Et omnino tum ἔνδειξις, tum ἀπαγωγή (nam utriusque vocabuli mentio fit p. 51. Bekk.) non nisi in eo valebant, quem delator criminis manifestum habere se profiteretur: quamquam ipsa actoris oratio satis prodidisset, minime ad κακούργους referendum fuisse reum. Sed, inquit hic p. 53, § 13=710. R., affirmas me mansurum non fuisse (nempe Athenis: erat enim reus Mitylenaeus) si solutus essem, sed evasurum hinc; tamquam si invitum me coëgisses huc venire. Quibus haec ipse opponit: *καίτοι ἐμοὶ εἰ μηδὲν διέφερε στέρεσθαι τῆσδε τῆς πόλεως, ἴσον ἦν μοι καὶ προσκληθέντι μὴ ἐλθεῖν, ἀλλ' ἐρήμην ὄφλειν τὴν δίκην, τοῦτο δ' ἀπολογησαμένῳ τὴν προτέραν ἐξεῖναι ἐξελθεῖν.* In Reiskiana nihil ab his discrepat, nisi quod — *δίκην· οὕτω δ'*, habet, quod e Codd. mutavit Bekkerus, sic occurrens coniecturae Reiskii, qui, quum ἴσον ἦν μοι recte interpretaretur, *pariter in potestate*, ἀδιάφορον *mihi erat*, suspicabatur deesse post τὴν δίκην, ἢ ἐλθεῖν μέν. Nempe alteram hanc disiunctae enunciationis partem recte vidit Bekkerus indicari formula τοῦτο δέ· qui propterea servavit, quod libri habent, ἐξεῖναι, cui tum Reiskius, tum alii substituere volebant *ἐξῆν*. Sed quem non offendit haec syntaxis? *ἴσον ἦν μοι μὴ ἐλθεῖν, τοῦτο δὲ ἀπολογησαμένῳ* ἐ ξ ε ῖ ν α ι *ἐξελθεῖν*. Nam primum satis erat postremum ver-

bum, ἐξελθεῖν· tum ἴσον ἦν μοι ἐξεῖναι nullo macrologiae exemplo defendi possunt. Puto legendum esse, ξένῳ ἐξελθεῖν, ut sensus sit, *vel ut, quum in priori actione me defendissem, ut peregrinus excederem.* Tota enim disputatione quae sequitur agitur de iure τῶν ξένων violato.

In accuratissima defensione necesse putavit reus patrem quoque defendere, eiusque voluntatem fidemque erga Athenarum civitatem praedicare: p.71 sq. § 74-80=741 sqq. R. Igitur tum ante Mitylenae defectionem studiosum fuisse Atheniensium memorat, tum per illam defectionem una cum tota civitate, non suo privato consilio, peccavisse, sed, quo minus eundem erga Athenienses animum ostenderet, temporibus prohibitum esse: neque enim tum urbem (Mitylenam) relinquere facile ei fuisse: et pignorum satis ibi retineri, bona et liberos. Quo loco (§ 76. fin.=743 R.) miror Reiskianum εἴχετε retentum esse a Bekkero, quum verissime εἴχετο restituendum demonstrasset Boeckhius Oecon. Civ. II. p.412. Receptis et castigatis Mitylenaeis, Athenienses eo deduxerunt cleruchos, inter quos Lesbiorum agri dividerentur, ea tamen conditione, ut relinquerentur hi Lesbiis ad colendum, cum annuae pensionis onere duarum minarum in singulos κλήρους. Diligentem huius rei memoriam consignavit Thucydides III, 50. Sed Boeckhius pluribus operis me-

morati partibus hunc locum attingens, perperam ad illam Lesbiis permissam agrorum colendorum facultatem refert haec verba Antiphontis § 77=744. R. *τοῖς δ' ἄλλοις Μιτυληναίοις ἄδειαν ἐδώκατε οἰκεῖν τὴν σφετέραν αὐτῶν*. Nam sic interpretari virum praestantissimum, conficio e not. 130, ad II. p. 37. Imo *οἰκεῖν τὴν σφετέραν αὐτῶν* est, civitatem suis legibus et institutis administrare, quod liberi erat populi, opponiturque imperio sive regio, sive extero. Satis illa potestas locutionis nota est, conferrique potest Demosthenes Contr. Aristocrat p. 665 fin. R. Ita distat hoc ab eo, quod Thucydides appellabat *γῆν ἐργάζεσθαι*, qui alterum illud dixerat *ἐᾶν οἰκεῖν*, Cap. 48. Ab illo inde tempore, inquit defensor p. 72, nihil fuit quod pater meus peccaverit, *οὐδ' ὅ τι οὐ πεποίηται τῶν δεόντων, οὐδ' ἧς τινὸς λειτουργίας ἡ πόλις ἐνδεὴς γεγένηται, οὔτε ἡ ὑμετέρα οὔτε ἡ Μιτυληναίων, ἀλλὰ καὶ χορηγίας ἐχορήγει καὶ τέλη κατετίθει*. In his rectissime viderat iam Boeckhius *ὑμετέρα* unice verum esse, prae Reiskiano *ἡμετέρα*· vid. Oecon. Civ. loco modo citato: iterumque his verbis, in quibus Atheniensium et Mitylenaeorum *πόλεις* inter se opponuntur, confirmatur illud quod modo dixi de *οἰκεῖν τὴν σφετέραν αὐτῶν*. Nam quod aliquanto post dicitur ab Oratore (§ 79=746. R.) *ἐπεῖδον τὴν ἑαυτῶν πατρίδα ἀνάστατον γενομένην*, ambitiosius dictum est. Sed dissentio a viro prae-

claro, qui tantum non ipsis verbis affirmat τέλη illa apud Antiphontem opponi choregiae: et ab isto liturgias domi, i. e. Mitylenae, tributa autem praestita videri Atheniensibus, eoque nomine intelligi pensionem illam in singulos κλήρους solvendam, duarum minarum. Primum non magnifice commendavisset patrem defensor, si pensionem illam, quae cleruchis debebatur, non Atheniensium civitati, certoque pecuniae numero continebatur, rite solutam ab eo praedicavisset: contra satis indicant reliqua omnia, illud memorare voluisse oratorem, quod voluntatis indicium, non necessitate expressum officium contineret. Tum, si ea pensio intelligeretur, non potuisset subiicere orator patrem plurimum Aeni habitare (ἐν Αἴνῳ χωροφιλεῖ), neque illud tamen eo consilio, ut civitatem fraudaret iis, quae a se deberentur: pensionis enim veluti pignus erat ipse κλῆρος, clerucho Atheniensi adsignatus. Verum, quemadmodum sunt in illa peculiari Mitylenae conditione multa obscura, ut merito nonnulla divinare videatur ipse Boeckhius Op. cit. I. p. 462 sq., memorem ipsum fuisse exspectari poterat eorum, quae ante disputaverat I. p. 321, indeque conficere, Mitylenae quoque a ditioribus, pro fortunarum modo, tributa tum conferri solita fuisse, praeter sollemnes liturgias. Dubitari enim non potest, quum Athenienses, qui eo deducti

essent, tantum praesidii instar magnam insulae partem tenerent, Mitylenaeorum, qui pensione soluta ipsi quoque agros colebant, mansisse *κοινόν*, eamque administrationem (quamquam, quod diserte Thucydides tradit, *φόρος* dein Lesbiis non imperabatur) non sine ditiorum onere constare potuisse. *Ὑπήκοοι* facti, manebant tamen socii: et, si naves aedificare, aut muros restituere prohibebantur, si praeterea causae eorum in Atheniensium tribunalibus dirimendae erant, alia profecto erant, quae publico sumtu praestari oporteret: atque iteratae postea Mitylenaeorum defectiones satis ostendunt opulentam postea quoque fuisse civitatem, et aerarium e privatorum tributis crevisse. Cuius tamen generis ista *τέλη* fuerint, et difficile est coniicere, nec multum ad rem attinet. Sed, quamquam tributi (*φόρου*) immunes dein fuerunt Lesbii, credibile tamen est onera subinde per belli necessitatem ab Atheniensibus imperata iis fuisse. Diodotus enim, cuius sententia de servandis Mitylenaeis vicerat Athenis, Cleonis sententiam sic oppugnaverat, apud Thucydidem; magnum damnum fore *ἐφθαρμένην παραλαβεῖν (τὴν πόλιν) καὶ τῆς προσόδου τὸ λοιπὸν ἀπ᾽ αὐτῆς στέρεσθαι· ἰσχύομεν δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους τῷδε.* Suadet igitur *ὅπως — μετρίως κολάζοντες ταῖς πόλεσιν ἕξομεν ἐς χρημάτων λόγον ἰσχυούσαις χρῆσθαι·* Cap. 46. Obscurum etiam magis est

hoc, cuius liturgiae Atticae onus sustinendum esse potuerit isti Mitylenaeo (*οὐδ' ἧς τινὸς λειτουργίας ἡ πόλις ἐνδεὴς γεγένηται, οὔτε ἡ ὑμετέρα οὔτε ἡ Μιτυληναίων.*) Sed oratorie ista magis dicta videntur, quam ad diligentem verborum usum, qualis in Atheniensium rebus valebat, exigenda. Si in illa *subditorum* conditione opibus subinde Atheniensium copias firmare debuerunt Mitylenaei, nonnulla certe onera, quae ditiores Mitylenaei ferrent, vere poterant *liturgiarum* nomine appellari, quibus in principis civitatis gratiam fungerentur; sicut omnino *λειτουργεῖν* latius patet de quocumque officio. Et speciosum quidem illud est, quod suspicatur Boeckhius I. p. 463 init., Atheniensium cleruchos dein una cum veteribus incolis communem rem publicam constituisse; sed, quod maxime huic opinioni obstat, neglexisse videtur, dispari tum iure futuros fuisse eiusdem rei publicae cives, quippe cleruchi civitatem atticam retinerent, quae Mitylenaeis sane tributa non fuit. Equidem existimo Mitylenam non ita traditam fuisse cleruchis, ut, quod in aliis subactis locis obtinebat, hi suam sibi rem publicam constituerent, sed tum aliarum Lesbiacarum civitatum, tum Mitylenae liberam administrationem incolis relictam fuisse: idque satis evincit altera defectio, quam memorat Thucydides VIII, 22. sq.

In Oratione De Choreuta p. 86 § 21=774 sq. R. conclamatum reliquit hunc locum Bekkerus: *ἐπειδὴ δὲ οὗτος ταῦτ' ἔλεγεν, ἀναβὰς ἐγὼ εἰς τὸ δικαςήριον τοῖς αὐτοῖς δικαςαῖς ἔλεξα ὅτι τὸν μὲν νόμον οὐ δίκαιον οὐ προκαθῆσθαι εἰ Φιλοκράτης κατηγορῶν καὶ διαβάλλων εἰς τὸ δικαςήριον, μελλόντων ἔσεσθαί μοι ἀγώνων πρὸς Ἀριςίωνα καὶ Φιλῖνον — ὧνπερ ἕνεκα τοὺς λόγους τούτους λέγει.* In his, quum neque sententiae absolutio appareat, neque media illa *ὅτι τὸν μὲν νόμον κ. τ. λ.* ullo modo explicari possint, excogitavit Reiskius, *τὸ μὲν ὅλον οὐ δίκαιον οὐδὲ προσῆκον ποιεῖ Φιλ.*, i. e. ***universe, non ex aequo, neque civiliter atque honeste Philocratem agere.*** Quod lentius molliusque est pro illa acerbitate qua huius causae defensorem invehi in adversarium videmus. Corrigendum esse coniicio: *ὅτι τῶν μὲν νομίμων καὶ τοῦ δικαίου οὐ προῖκα εἴργοι με Φιλ.* i. e. ***Philocratem legitimis et iure non gratuito, sed corruptum, arcere et excludere me accusatione et calumnia.***

Deinde p. 90 § 35=782. R. memorat defensor, qua arte haec adversus se actio comparata sit. Quum enim ipse senator publica delatione (*εἰσαγγελίᾳ*) traducturus esset ad senatum alios, qui aerarium expilassent, hi pretio persuaserunt defensoris adversario, ut caedis actionem in eum institueret, eiusque *προαγόρευσιν* apud magistratum obtineret,

qua iste excluderetur *τῶν νομίμων*, et, senatoris munere amisso, persequi illam *εἰσαγγελίαν* prohiberetur. Fures illi pecuniae publicae appellantur p. 90 Bekk.: *κατηγορήσειν ἔμελλον Ἀριςίωνος καὶ Φιλίνου καὶ Ἀμπελίνου καὶ τοῦ ὑπογραμματέως τῶν θεσμοθετῶν, μεθ' οὗπερ συνέκλεπτον, περὶ ὧν εἰσήγγειλα εἰς τὴν βουλήν.* Obiter monemus corrigendum esse p. 95 init., *εἰσήγγελλον*, pro *εἰσῆγον*, quod Bekkerus, nihil monens, servavit. Sed gravius hoc est. Qui quarto loco memoratur, sic designatur illo priori loco, *ὑπογραμματεὺς τῶν θεσμοθετῶν*, quemadmodum Bekkerus edidit ex optimis Codd. pro Reiskiano *νομοθετῶν·* altero loco appellantur *ὑπογραμματεῖς οἳ τούτοις ὑπεγραμμάτευον.* Utrumque, et utro modo in priori loco legas, difficile est explicare, neque explicuit Boeckhius Oecon. Civ. Ath. I. p. 201, hunc ipsum locum indicans. Si recte repudiatum est *νομοθετῶν*, non idcirco rectum est *θεσμοθετῶν.* Quid Thesmothetis cum publicae pecuniae administratione, i.e. *διοικήσει?* Praeterea, si Thesmothetarum hi *subscribae* fuerunt, quo modo altero loco *τούτοις*, i.e. Poletis, ceterisque, dicuntur *ὑπογραμματεύειν*? Apparet, credo, *θεσμοθετῶν* ne ipsum quidem verum esse. Ferri poterat *ὑπογρ. τοῦ δημοσίου·* ut erant plerumque isti e tenuiori atque adeo e servili conditione: quamobrem ne nomen quidem hominis memoratur.

Huius igitur metu *εἰσαγγελίας* emerant isti alios, qui illum, a quo metuebant, apud Archontem Regem caedis nomine deferrent: quippe lex erat, *ἐπειδάν τις ἀπογραφῇ φόνου δίκην, εἴργεσθαι τῶν νομίμων*· quod si obtinuissent, fore videbant tutos se ab illa delatione. Subornati accusatores accedunt ad Archontem: *ἐπειδὴ δὲ αὐτοῖς ὁ βασιλεὺς τούς τε νόμους ἀνέγνω, καὶ χρόνον ἀπέδειξεν τί οὐκ ἐγχωροίη ἀπογράψασθαι καὶ τὰς κλήσεις καλεῖσθαι ὅσας ἔδει*, sic illi frustrati sunt, alterque *εἰσαγγελίαν* persecutus est, cet. p. 91. Bekk.=784. R. Sed in illorum, quae apposui, verborum lectione quum constent Codd., acquiescendum non putavit Reiskius, qui, pro *τί οὐκ ἐγχωροίη*, num sic legendum, inquit, *ἐντὸς οὗ οὐκ ἐγχωρ.*? i. e. *quum tempus demonstrasset, intra quod caedis reum haud liceret facere.* Non recte: et tamen Codd. lectio corrupta est. Leviori mutatione corrigendum est, *δι' οὗ ἐγχ.* Res intelligitur ex iis, quae de eodem negotio dicuntur infra p. 92. Oportebat Regem, ubi caedis nomen accepisset, (*ἐπειδὴ ἀπεγράψατο*) *τρεῖς προδικασίας ποιῆσαι ἐν τρισὶ μησὶ, τὴν δίκην δ' εἰσάγειν τετάρτῳ μηνί.* Atqui eius, qui tum erat, anno non nisi duo menses supererant. Igitur neque ipse amplius, si accepisset, *εἰσάγειν* actionem potuisset, et tradere ei qui succederet non licebat. Manifestum est igitur tum Regem istis demonstrasse tem-

poris spatium, per quod actio suscipi et tres illae citationes fieri demum possent: idque est δι' οὗ ἐγχωροίη. Nam illo spatio collato cum reliquo sui anni tempore, intelligi poterat illam actionem ab ipso suscipi non posse.

Antiphontem excipiat Andocides. In Oratione De Mysteriis memorantur aliquot μηνύσεις mysteriorum violatorum, in quarum quarta, quae servum Phereclis habuit auctorem (p. 105 Bekk.=9. R.) leguntur haec: Σπεύσιππος δὲ βουλεύων παραδίδωσιν αὐτοὺς τῷ δικαστηρίῳ. Offenditur Sluiterus Lect. Andocid. p. 109 sqq. vocabulo βουλεύων, docensque παραδιδόναι τῷ δικαστηρίῳ, idem esse quod εἰσάγειν εἰς τὸ δ., neque εἰσαγωγὴν fuisse Senatorum, corrigendum censet βασιλεύων, quippe actio quoque ipsa, de qua agatur, ἀσεβείας esset, et ad Archontem Regem pertineret. Quam correctionem probare nullo modo licet. Primum enim constat παραδιδόναι τῷ δικαστηρίῳ, vel εἰς τὸ δ., minime proprie dici tantum in magistratibus quorum esset εἰσαγωγή. Conf. Andocid. in hac ipsa oratione p. 121. §66=32. R. Demosth. Mid. p. 515. 6. p. 517. 4. adv. Timoth. p. 1187. 5. De Corona Trierarch. p. 1230. 19. R. Porro, solebat quidem saepe in iis criminibus, quorum essent εἰσαγγελίαι, aut ἐνδεί-

ξεις, quaeque ad senatum deferrentur, Thesmothetis, per senatum, committi εἰσαγωγὴ εἰς τὸ δικαςήριον, sed in gravioribus nonnumquam tamen senatus ipse tradere causam Heliaeae deprehenditur, ut recte demonstravit Schoemannus Comitt. Athen. p. 202 sqq. Et credibile est Speusippum senatusconsulto fuisse auctorem (Σπεύσιππος εἶπε) quo crimen illud Heliaeae tradebatur. Quodque magis etiam vindicat Codd. lectionem βουλεύων, hoc est, quod Speusippum pater Andocidis (ipse illo indicio comprehensus) παρανόμων ἐγράψατο, (ut additur ab oratore:) qua actione nullo modo conveniri poterat is magistratus, qui, munere fungens, causas ad ipsum delatas ad tribunal deduceret; sed in eum cadebat, qui ipse vel legem, vel psephisma, vel sctum tulisset. Actio παρανόμων instituta fuisse videtur, quod tulisset Speusippus illos, qui indicio designati essent, συλλαβεῖν· quod fieri non licebat, ubi fideiussores essent dati: cf. formula iurisiurandi senatorii apud Demosthenem Timocrat. p. 745. 12. R.

Alio loco exempla antiquitatis commemorans orator istius μὴ μνησικακεῖν, quamque salutare civitati hoc institutum fuisset, percurrit historiam inde a Pisistratidis eiectis: factaque victoriae apud Marathonem mentione, post tam nobile facinus, inquit orator p. 134. § 108=54. R. οὐκ ἠξίωσάν τινι

τῶν πρότερόν γενομένων μνησικακῆσαι. Τοιγάρτοι διὰ ταῦτα τὴν πόλιν ἀνάστατον παραλαβόντες — διὰ τὸ ἀλλήλοις ὁμονοεῖν τὴν ἀρχὴν τῶν Ἑλλήνων κατειργάσαντο κ. τ. λ. Intelligitur recepta post Salaminiam pugnam urbs, indeque exortus Graeciae principatus: itaque necessario *διὰ ταῦτα* mutandum in *μετὰ ταῦτα.*

Tautologia liberandus est Andocides in eadem Oratione p. 193 init.=62. R. ubi de Callia libidinoso et scelesto homine agitur, qui quum Ischomachi filiam uxorem duxisset, ne anno quidem post *τὴν μητέρα αὐτῆς ἔλαβε, καὶ συνῴκει — τῇ μητρὶ καὶ τῇ θυγατρὶ, ἱερεὺς ὢν τῆς μητρὸς καὶ τῆς θυγατρὸς, καὶ εἶχεν ἐν τῇ οἰκίᾳ ἀμφοτέρας.* E corrupto *εἶχον*, Codicis Z. apud Bekkerum, refingendum *ἔχων*. Non crimini datur Calliae, quod Cereris et Proserpinae sacra et imagines domi suae haberet, sed, quod, quum ista domi haberet, adeo omnem castitatem sprevisset, ut ipse filiae matrisque simul connubio uteretur. Ex huiusmodi collatione profectus est ornatus in Cicerone, Verr. IV, 38, 83, quem locum emendavi Bibl. Crit. N. V. 1. p. 25.

Classicus locus est de vectigali *τῆς πεντηκοστῆς*, deque eius locatione et conductione, p. 141 sq.= 65 sq. R. quem, quoniam Boeckhius (Oecon. Civ. Athen. I. p. 339 sq.) interpretando turbasse videtur, denuo persequamur. Agyrrhius *ἀρχώνης* fuerat

τῆς πεντηκοςῆς tertio ante hoc de mysteriis iudicium anno, emeratque vectigal 30 talentis. Sed, quum ipse suae societatis princeps esset (ut apud Romanos *principes societatum*,) reliquarum societatum principes sic a licitando averterat, ut statim iis pecuniam offerret, si tacerent, et, si vili pretio emisset, fructuum partem iis promitteret. Sed hanc lucri communicandi rationem non ita institutam fuisse, ut aequalem omnes cum ipso Agyrrhio partem acciperent, apparet e sequentibus. Nam, inquit, quum reliqui illi sic tria talenta abstulissent, agnovissentque quantum illud negotium lucri afferret, *συνέςησαν πάντες, καὶ μεταδόντες τοῖς ἄλλοις* emerunt rursus (nempe, sequenti anno) 30 talentis. Igitur, quum priori anno Agyrrhius suo nomine emisset, nunc universorum nomine emtum vectigal est: quod fieri non opus erat, si aequis partibus Agyrrhii lucrum fuisset distributum. Contra, videtur hic dimidiam partem sibi servasse, alteram istis concessisse. Sed leviter corrigendum est, *μεταδόντες ἀλλήλοις*· nam, qui sint *οἱ ἄλλοι*, quum omnes conspirarent, vix excogitari potest. Apparet autem, minime probandam esse Boeckhii suspicionem, qui pro *τρία τάλαντα* (vel, ut ipse vulgatam secutus memorat, *δύο*) legendum censet *ἓξ τάλαντα* (vid. p. 340 fin.) Tum exstitit Andocides, qui in senatu ipse superaret istos, emeretque

36 talentis, et nihilominus, colligendo vectigali, lucri aliquantum fecisset. Nonnullorum opinionem, de triennii huius vectigali locatione, bene refutavit Boeckhius, qui hoc quoque addere poterat, Andocidem, anno post illam a se factam conductionem, de fructu eius, tamquam de absoluto negotio, loqui.

Obiecerant Andocidi adversarii, ideo Deos eum e maris periculis servavisse, ut huic iudicii periculo traderent, eumque Cephisius perderet. Sed, inquit, p. 143. § 138=68. R. si quid erga Deos deliquissem, multo aequius erat exspectare ut me maris periculis prehensum ulciscerentur: *τίς γὰρ κίνδυνος μείζων ἀνθρώποις ἢ χειμῶνος ὥρᾳ πλεῖν τὴν θάλατταν; ἐν οἷς ἔχοντες μὲν τὸ σῶμα τοὐμόν, κρατοῦντες δὲ τοῦ βίου καὶ τῆς οὐσίας τῆς ἐμῆς, εἶτα ἔσωζον. Οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς ποιῆσαι μηδὲ ταφῆς τὸ σῶμα ἀξιωθῆναι;* In his postremis primum *ποιῆσαι* sine adiecto casu ponitur: tum tota interrogandi forma intempestiva est, ut e sequentibus optime conficitur: qua sublata, unaque litera inserta, legendum est, *ὃ ἐξῆν αὐτοῖς μὴ ποιῆσαι* —, *quod penes ipsos erat non facere* (sc. servare me), *utque corpus sepultura non dignaretur.*

In Orat. contr. Alcibiadem p. 176. § 13=117. R. *θαυμάζω δέ*, inquit orator, *τῶν πεπεισμένων Ἀλκιβιάδην δημοκρατίας ἐπιθυμεῖν, τοιαύτης πολι-*

τείας, ἢ μάλιϛα κοινότητα δοκεῖ εὑρῆσθαι κ. τ. λ. In quibus postremum εὑρῆσθαι merito offendit Sluiterum Lect. Andoc. p. 225: sed neutra eius suspicio corrigendi probanda videtur. Coniicio legendum esse — ἢ μάλιϛα κοινότητι δοκεῖ συστῆναι.

Iterum coërcendus est Sluiterus, qui (ibid. p. 228 sq.) in Oratione contra Alcibiadem p. 181. § 26=125 R. ubi Diomedes narratur bigis suis ambivisse victoriam Olympicam, λογιζόμενος τοὺς ἀγῶνας τοὺς ἱππικοὺς τύχῃ τοὺς πλείϛους κρινομένους· corrigendum putat τιμῇ, pro τύχῃ, et interpretatur, *equestria certamina omnium honorificentissima iudicari.* Sed, ne si isto modo quidem legeretur, ita interpretanda haec erant. Salva vulgata est; quippe nihil nisi hoc dicit, »ratiocinari Diomedem, »sibi, quamquam modica fortuna utentem, tam »contingere posse victoriam quam homini diviti ac »potenti; quippe discerneretur illud certamen for»tuna magis, quam aut arte, aut consilio." In aliis certaminibus τῷ σώματι ἐνίκων, ut dicitur p. 183. § 32.

Quod dein in Alcibiadis scelere et impudentia exagitatur, de Architheororum vasis commodato acceptis, diu collatum est cum Plutarcho Alcib. p. 196. E: maneoque in ea sententia, quam exposui Bibl. Cr. N. II. p. 95 sq. Nam, quo modo Plutarchus refert, ne fieri quidem potuit, ut domi talia

ad quotidianum victum peteret aut obtineret Alcibiades.

Sententiam bene perspexerat Sluiterus p. 235 sq., sed perperam corrigit locum hunc Andocid. p. 182 § 30=128. R. postquam memoravisset orator, quo potentiae abusu Alcibiades ea sibi a sociis comparavisset Olympiae, quibus ad ornatum et splendorem uteretur: *ἀλλὰ ὁπόσοι μὲν ἄρχοντες ἐν μιᾷ πόλει γεγένηνται, ὑπεύθυνοί εἰσιν, ὁ δὲ πάντων τῶν συμμάχων καὶ χρήματα λαμβάνων οὐδενὸς τούτων ὑπόδικός ἐστιν.* Inserit Sluiterus, post *συμμάχων*, *ἐπάρχων*, ut esset, Alcibiades, *qui omnibus sociis imperat.* Sed primum, *ἐπάρχειν* non ponitur pro simpl. *ἄρχειν*, potiusque in provincia dicitur quae imperio adiicitur: et sic Xenophon, quem citat, et optimi quique scriptores. Tum nullus locus in Alcibiade imperio est in omnes socios. Conferuntur magistratus, qui in singulis civitatibus, quum pecuniam publicam tractarent (*τὰ δημόσια χρήματα διαχειρίσαι*), erant *ὑπεύθυνοι*, cum Alcibiade privato, sed qui ab omnibus sociis pecuniam exigebat: legendumque videtur, *ὁ δὲ ἐκ πάντων τῶν συμμ. χρήμ. λαμβάνων.*